




VIII
COLLATII
CARMEN
DE EVERSION
IERUSALEM
EC.
9
K
6
9
MEDIOLANI
148











1- Colatius - IGI 3052

2- Machareus - H 10422

3- Biffus - 1724

Petri Apollonii Collatii Presbyteri Nouariẽsis de euersione Vrbis Ierusalem Heroicum carmen feliciter incipit. Titulus ipse.

HIEROSOLYMA

Xitium Solymæ & tristes a stirpe ruinas
Totq; oli Ducib' clarã tot Regib' Vrbẽ
Seruitio turpi & miserãda sorte subactam
Dicere fert animus. Nunc o ueneranda canentis
Calliope regina chori/fontisq; sacrati
Huc ades/& tecum comites assume Sorores.
Tuq; mihi causas memora: quo crimine genti.
Hanc Deus intulerit cladem. Scis ipsa nec unquam
Obscurasse potest mentem tibi longa uetustas.
Venerat e summo demissus cardine cæli
Errores hominum tandem miseratus ab alto
Humanamq; Deus sancta de uirgine carnem
Sumpserat. & castæ seruato corpore Matris
Non intellecto Mundo comparuit ortu.
Cumq; forent doctæ studiorum lumen athenæ.
Et late princeps terrarum Romula tellus.
Iudæam toti nascendo prætulit orbi.
Hic puer hic uixit Iuuenis: hic multa peregit
Lustra: docens populos æterno se patre missum
Iusticiam seruent melioraq; iussa capessant.
Ne ue ultra ueteris sectentur somnia legis.



Addebantq; fidem dictis miracula passim:
Quis stupidas uulgi mentes: quis pectora plebis
Alliceret/miroq; sibi inclinaret amore
Nanq; aliis uinctæ soluens retinacula linguæ
Promere Verba dabat nec non & lumine captis
Perspicuum spectare diem/soloq; iubentis
Imperio poterant damnati currere gressus.
Quin & corporibus (mirum) rediere solutæ
Et rursum membris animæ fudere calorem
Sic gestis & uoce trahens iam flectere turbas
Cœperat & uariis populo clarescere signis.
Inuida paucorum diuinæ obsistere laudi
Mens parat & subito Regni perculsa timore
Cæca Sacerdotum rabies. Scribæq; dolosi
Concilium solenne uocant. Quid stertimus ultra
Qid patimur regnare uirum primordia cuius
Ignotumq; Genus : Quanquam temerarius ille
Se credi uult esse Deum. Num signa uidetis
Quæ faciat: Nullus prope iam legalia curat
Sacra nouos ritus sequitur pars maxima Gentis.
Exquo presertim quarta confectus in umbra
Iamq; fluens nigro reuocatur Lazarus orco:
Quãtus tũc populi clamor: quis ad æthera plausus
Quis fauor: At non hic obscurus origine iussit.
Nil superest tandem: Veteri nisi lege relicta
Romanas Aquilas penitus loca nostra tenere/

Crudelesq; iterum Templum uiolare Quirites.
Atq; adytis regnare sacris. occurrite uestro.
Si sapitis Ciues damno. falsumq; prophetam
Perdite: & unius uos met seruate cruore.
Talibus assensi: causas/odiiq; ruinas.
Molliri cœpere nouas. hinc spargere uoces
In uulgum ambiguas. & sepius impete facto
Orantem terrere minis: uel pellere saxis.
Quos ubi persensit motus/nec cedere Iesus
Inuidiæ se posse uidet. suspiria ab imo
Corde mouens: pstabo libens quod quæritis iquit
Hostiaq; ad flāmas ultro ferar: hunc mihi quando
Ipse pater statuit finem/uoluitq; uenire:
Sed quanta miseri pœna commissa luetis.
Dixerat/& gressu festino menia linquens.
Bethaniam sese sera sub nocte recepit.
Nec mora longa fuit: Qum pectore rursus anhelo
Multa animo uertens/atq; hospita tecta relinquēs
Ad Solymos dirrexit iter spacioq; remotus
Quantum funda potest decimo conuincere iactu:
Discipulos iubet ire duos/ac talia fatur.
Cernitis oppositum uestris conspectibus alte
Castellum: manet hic peregrinos semper in usus
Cunq; nouo fœtu mitis stabulatur asella.
Haud quisquam obstiterit missis. huic soluite funē
Et pariter nobis lasciuum adducite pullum.

Olli dicta citi accipiunt ac iussa facessunt.
Ergo sedens tergo lentæ gradientis asellæ.
Fraterna stipāte manu portæq; propinquans.
Substitit & cælum lachrymis suspexit obortis.
Hinc has fatidico demisit pectore uoces.
O uanas hominum mentes.o cæca futuri.
Consilia.scires infelicissima rerum
Vrbs utinam: quantas debent tibi proxima clades
Tempora:quos luct⁹ quos sis passura dolores.
Nanq; dies aderit:quam non procul auguror esse.
Qum te percinget fossa ualloq; superbus
Hostis/& inuadet direptos undiq; muros.
Ac ferro flammisq; ruet.compage soluta
Herebit lapidi nusquam lapis.omnia uertet
Improbus amota prorsus pietate satelles.
Et merito:quoniam sordent tibi munera nostra
Proq; tua missuz insequeris uesana salute.
Hec ubi dicta dedit lachrymans procedit/& urbez
Ingreditur:magno populi excipiēte fauore.
Certatim pueri ramis frondētis oliuæ.
Et palmis ornare uias/exutaq; uestes
Calcandas pecudi terræ pars sternere gaudet.
Et funem prensare manu/& deducere recto
Tramite.compositis resonabat uocibus aer.
Quos non ille animos potuit mouisse tumultus:
Haud unquam tanto Cōsul capitolia plausu.

Victor init. cui non dominum cognoscere cæli
Hic liceat: mens uipereo suffecta ueneno
Sacricolis immota fuit. simul anxia tandem
Scribarum & scelerata choors: grauioribus iris
Arsit/ & insontem conficto crimine mortis
Affixere cruci: pendens ubi pauca locutus
Effugientem animam calido cum sanguine fudit.
Sed pater hunc longa non passus morte teneri
Omnipotens: Stygia primum reuocauit ab unda:
Infernis lætum spoliis/ cumque agmine pulcro
Traxit ad æthereas sedes/ dextraque locauit
Parte thori/ æterno pariter dignatus honore.

PROLOGUS explicit. LIBER. INCIPIT.

d Vm sceleris Iudæa sui nil territa culpa
Pergit in insanem rabiem/ cæcoque furore
Sublato pastore: gregem discrimine nullo
Insequitur/ sacrumque cupit confundere nomen:
Iam quater emensus denos Sol egerat orbes:
Ex quo stelliferas Christus sublimis in auras
Cesserat/ & Patris solium commune tenebat.
Ergo ubi nequicquam dilabi tempora cernit
Omnipotens Genitor. nec ferrea corda moueri
Cunctando: subitas tanquam collectus in iras
Excutiens celsumque caput/ frontemque coruscam
Verba mouet. tremuere Poli/ mentesque per omnes

Exanimus Patrum fluxit timor. ætheris alti
Sic improuisas hominum qum percutit aures
Icta nube fragor: trepidos metus irruit artus
Attonitosq; quatit sensus. Quin insuper ipse
Pene truci Natus iuxta conteritus ore est
Desine pro scæua/uosq; obmutescite: Gente
Fundere nate preces. populi iam cura maligni
Nulla futura mihi. Satis expectata/superq;
Mœnia debentur ferro scelerata supremo
An ne parum est: odiis in te certasse/cruentas
Atq; armasse manus: Quod si uelit usq; negare
Impia plebs: etiam apparet non falsa cicatrix.
At nuper summi detrusus culmine templi
Fratrum unus/ Vel materno tibi Stemmate uictus
Puniceo duram maculauit sanguine terram
Sancta Ioseph Soboles. illi uibrata securis
Post lapsum ingentem confudit in ore cerebrum
Semi animo/ pacemq; hosti/ Veniamq; roganti.
Quid memorem saxis cæsum crepitantibus ante
Leuitam: primus fidei certamina puræ
Ille tulit: primusq; aris pia uictima nostris
Concidit/ & pulcra meruit pro morte Coronam.
Extinctos ue alios miserando funere: qui te
Siue palam seu secretis coluere latebris:
Stat genus inuisum penitus delere: nec ultra
Summissus Moses aut quisquā hac stirpe creatus

Proderit orando/gemitusq; effundet inanes
Audierant. animus nec cuiquam reddere uoces
Aut placare fuit. tacito sed pulsa dolore
Corda premunt omnes/pugnant pietasq; pudorq;
Hinc curæ Natale solum est. hinc crimina damnāt.
Demu3 uerba refert Natus. Supremma potestas
Rerum æterne parens: cui prima exordia debet
Quicquid uterq; polus uasto complectitur arcu:
Posse tuum quodcunq; uelis ego iussa peregi
Haud leuia/& fragilis uestitus tegmine carnis
Omnia: te mandante tuli: si frangere duras/
Aut quocunq; modo possem deuertere mentes.
Nil actum. merces tanti non æqua laboris.
Horrida crux/clauiq; truces/& dira flagella
Per lucem fessis tortoribus. ultima mortis
Supplicia infandæ. nil te iustissime rector
Demoror. emeritas proles luat improba pœnas
Nostra fides alios populos/atq; altera Regna
Inueniet/rituq; nouo meliora dabuntur
Thura focis/aliis melius celebramur aris.
Nec mihi iā pecudum ue cruor placidæ ue colūbæ
Viscera ue in flammis quāquā curauimus olim.
Tosta placent. Sic effatus. mandante resedit
Patre prius/totoq; fuere silentia cælo.
Stabat demissam uix ausus tollere frontē
Corniger Hebrei quondam per deuia princeps

Agminis & casus populi miseratus acerbos
Attonitæ faciem Mariæ pariterqȝ timentis
Inspicere. & tacito rebus succurrere nutu
Extremis/pronam genibusqȝ herere monebat
Illa dei pedibus solioqȝ effusa tremendo
Flebilibus sic orsa modis, discedere Cælo
Vt tua me iubeat Pater o metuenda potestas
Fas mihi pauca loqui. Natum peperisse Tonantis
Est aliquid. fuit hic nobis hic sarcina menses
Grata nouem/teneroqȝ humorem pectore suxit
Virgineum. Quo te Genitor sententia uertit/
Et Dauidi iurata fides: dum perdere semen
Illius atqȝ Vna certum est delere ruina
Sic cuncti meruere necem: Si plectis iniquos
Parce bonis. tanta iusti de plebe supersunt
Nunc etiam. feriat nulla pietate nocentem
Scaeuus. ab innocuo mitis pertranseat ensis.
Eequis erit. tunc qum suprema coegerit hora
Sæcula tot Mundi: quem tu de germine saluum
Esse uelis Iudæ: lachrimanti & plura paranti
Dicere pacato paulum Deus intulit ore.
Parce oculis Virgo/& conceptum mente dolorem
Exue/nanqȝ super tibi erunt extremaqȝ cernent
Tempora relliquias iudæ. nunquam irrita nostri
Polliciti/ nec uana fides. Sed nulla fugatis
Certa loco requies/nullusqȝ erit orbe recessus

His stabilis. duro uitam quocunque sub axe
Seruitio faxim/assiduo durentq; labore
Obfirmati animo tristi: nec discere Verum
Interea tamen/aut ulla ratione fateri
Curabunt: tanta est uecordia mentibus illis:
Quæ te præcipue neget & contemnere semper
Audeat/ac probris & amara uoce lacessat.
Sed tibi erunt alio meritæ sub sydere laudes.
Ne modo sacrilegæ noceant conuicia linguæ
Aeternumq; decus. præcunctis Itala tellus
Te colet & cæli dominam mundiq; uocabit.
Hic tibi marmoreis extabunt templa columnis
Solemnesq; aræ nec te præsentius ullum
Christicolæ Numen: promant cui uota putabũt
Vrbẽ autẽ (neu quisquã obstet) subuertere ab imo
Decretum est partemq; hostili tradere ferro
Partem hominum latis profugã dispergere terris
Hoc odium nobis. hæc belli semina prestet
Roma potens armis atq; hostem persequar hoste
His Vbi solicita requieuit Virgine pectus
Atq; noue laudis cultu cõtenta recessit
Aduocat ipse Pater Raphaelem ac talibus insit
I. stygias penetrato domos/iuisaq; nobis
Tartara præpetibus pennis atq; inde petitum
Letiferi comitem: quo non solertior alter
Concordes agitare animos/pacemq; fugare:

Ad ſolimos tranſmitte lares/fœduſq; iubeto
Romanaſq; iugo abiecto contemnere leges
Præſidibus cæſis/libertatemq; repoſci
Suadeat. hic cauſæ irarũ reliqua ordine ducã
Dixerat. ille agiles pennas/haud tardus adaptat
Officio/lapſuq; celer tenebroſa ſubintrat
Limina pœnarum & mortis ſine fine uocatæ:
Aere nil cæco offenſus:ceu fulgida ſeruant
Perſpicuam:licet atra premat nox. ſydera lucem
Eſt locus obſcura penitus tellure cauatus
Lætiferi ſedes:quo cum genus omne clientum
Sedibus ætheris pro tam furialibus auſis
Corruit. ad poſtes inflata ſuperbia ſemper
Aſſidet/horrendum clamans. ea Regia maior
Hoc caput eſt orci:flammas ubi lætifer atras
Irrequietus agit. ſimul ipſe inuoluitur illis
Pœna aliis tortorq; ſuus. his turba deorum:
Priſca ætas falſa quos relligione ſacrauit
Torrentur flammis. his & Babylonica pubes
Turrim aggreſſa poli ſuperantem culmina celſi
Plebs coſuſa ſono/regeſq; duceſq; ſuperbi:
Qui ſibi diuinos inſanæ mentis honores
Turbine quæſierant. Quos omnes fumida nubes
Circunfuſa/ſacerq; tenens depaſcitur ignis
Aeternis alimenta rogis. hic feruida ſcæuit
Ira minæq; truces. toruo blaſſemia rictu

Dentibus incassum frendens dat murmura cælo.
Hoc ubi delatus ueri Iouis ales in antrum
Per uarios erebi anfractus: mandata repente
Exequitur (cognorat enim) socioq; Tyranni
Ingerit imperium & commissa facessere promit
Indoluit miserum uulgus/lucisq; relictæ
Tabuit aspectu/& seruato inuidit honori.
Ire tamen tristes comitem lætantur in usus
Nemoq; non illud munus uelit. omnibus una
Humani generis concepta est liuida tabes
Vnum odium. Sic quum sublata cuspide montem
Impulit atq; aliquem e uentis/emisit in æquor
Aeolus: exultant cuncti & dirrumpere flagrant
Claustra simul. Sed cõmotas Rex temperat iras
Prouidus atq; hasta cogit residere minaci
Ergo locum nactus Dæmon quo forte coibat
Concilio Synagoga suo rebusq; gerendis
Arcano sermone diem collata trahebat:
Sacricolæ uultus Ananiæ/habitusq; uerendos
Induit & flammas oculis effundere uisus:
Constitit in medios. fractaq; ita uoce locutus.
Ec quis erit miseri finis quæ tempora nostri
Seruitii: semper ne oro/semper ne licebunt
Omnia Romanis: semper ne his preda paramur:
Tygribus ut pauida hyrcanos armenta per agros
Infirmæq; aquilis uolucres: Quis census auaras

Iam complere manus: Quæ tanta opulētia possit
Exaturare famem Regniq; aulæq; rapacis
Diuertat totas illuc Pactolus arenas
Et Tagus ipse licet. uel quicquid littore rubro
Gemmarum diues aufert scrutator ab undis.
Qualis erit dominus: si præside tanta maligno
Auri dira sitis? Quis non hunc munere palpat?
Cui non ille rapit: legum contemptor & æqui
Perfidus: attriti gurges baratrumq; popelli?
At quondam assyrii leuior iactura Tyranni
Captiuosq; pati decuit quencunq; iuberet
Exilium. nostris laribus furiosior iste
Scæuit/& in ciues nil non crudeliter audet:
Dum spoliet rapiatq; palam. proh digna fauore
Maiorum uirtus. illi inter limina sacra
Antiochum tenuere ferum/lacerataq; membra
Cunctāti ad portas dominum misere cohorti.
Hunc neq; præsidiis nec fido milite cinctum
Tot dubitant (pudor o) prædonē tollere dextræ?
Irruite en primi patres. uos turba sequetur
Vobis primus honos. Non hoc ego numine nullo
Non inuisus ago. Templi mihi parte remota
Oranti Moses/simul & Iesseia proles.
Visi ambo monuere loqui. radios ne micātes
Cernitis infusos oculis e lumine nostris
Cornigeræ frontis? ne forsan uana locutus

Arguar. Ite horum monitu/Romanaq; ligua
Vertite/& astricto Rectorem iuadite ferro.
Pulcra erit illa dies: pro libertate tuenda
Quæ terram aspiciet funesto sanguine tinctam.
Vix ea fatus erat: qum limina clausa petenti
Spōte sua patuere fores. ingensq; secutus
A tergo fulgor: Qualem crinita timendi
Cauda trahit secum mutantis Regna cometæ
Aut quæ nocte polo delabi credita stella est.
Obstupuere patres ui suq;/& uoce loquentis.
Continuo accensæ mentes iurataq; cædis
Omnibus una fides. Quin & fluitantia plæbis
Confirmans Dæmon mentito pectora uultu
Accendit dictis. Aquilas ergo agmine facto
Euertunt & Signa foro perfixa reuellunt.
Ipseq; tam subitæ præses tunc nescius iræ
Poscitur ad Poenam: frustra quem uulgus inermen
Nunc placidum duro nunciore extrema minante
Innumeris confossum armis sub tartara misit
Tum bona libertas mixto clamore uocata est.
Victimaq; in Templo cultro ferienda ministri
Certatim stetit ante aras. Sed munera damnans
Obuersa ceruice Deus non respicit usquam.
Vt satis est uisus primos acuisse tumultus
Et belli certas messes habitura dedisse
Semina luctificus sub Tartara nigra Satelles

Ire piger cuntatur adhuc: Quosq; ante furore
Impulerat cæcos animos: post tristia facta
Arte noua: terrore quatit/scelerisq; peracti
Ante oculos odium & uentura pericula ponit.
Continuo poenas uiolati foederis omnis
Plebs timui. Subit ira feri uulgata Neronis
Poenitet & coepti/consultoremq; perosi
Ignari/seseq; simul sua crimina damnant.
Talis sacrilegas extincto Cæsare mentes:
Post ausum crudele: timor percusserat olim.
Nec frustra ultorem diuini sanguinis: ipsa
Expauit nimium Bruti temeraria uirtus.
Sed tamen hostiles libet expectare cateruas
Quāquā animuz metus acer agit. Sic fata iubebant
Atq; ita dulce deo. Tum uelox tessera currit
Conscribuntq; alias uires nouaq; arma capessunt.
Ductores lecti primum. Qui menia seruent
Qui fines Galilea tuos. hic agmina certum
Excipere. hic hosti armatas opponere dextras
Consilium: Nec fida satis commertia credunt
Phoenicum/semperq; magis suspecta Syrorum.
Summa tibi rerum/& tanti fortissime belli
Iosipe mandatur. custos tu credite regnis
Finitimis. nunc facundo sermone pauentes
Confirmas: nunc incendis/dulcesq; penates
Esse mones animo/dilectaq; pignora natum/&

Coniugia & patriæ sacras ante omnia leges.
Dux hominum interpresq́ dei : facis omnia. sed te
Non tamen instantes pridem latuere ruinæ.
Et tibi præsago monitu mens anxia dudum
E uentura mouens curas agitabat inanes
Dispositi: rebus fuerat ceu quisque gerendis
Aptior. his muros altis incingere fossis
Iniunctus labor est. his assere menia duro
Claudere. cogendi pecoris nec cura recessit
Et seruanda diu totis deducere in Vrbem
Frumenta ex agris & in horrea publica condi.
Sunt & qui populos usu Mauortis agrestes
Instituant/moresq́ italos/Romanaq́ monstrēt
Prelia. connexis trabibus diuersa paratur
Machina. sollicitus noctes uigil excubat omnes.
Nec non priuatis multi penetralibus arma
Tuta parant. tergent enses rubigine scabros
Deformesq́ situ galeas/et puluere longo
Excutiunt/& lora ocreis/scutisq́ reponunt:
Sic ubi latrantes syluis aper audiit altis
Suspectos ue canes habuit. seseq́ cieri
Augurat ad pugnam: rabidas excolligit iras
Ore prius/dentesq́ acuit/setaq́ rigenti
Horridus: in duris explorat uulnera truncis.
Spuma per obliquos diffunditur albida rictus.
Parte alia: uelox trepido dilapsa Neroni

Fama metu, belliq̃ rudem teneraq̃ iuuenta
Insuetam curis: agitat: Qui prelia quanquam
Oderat. & citharæ tantum certamina norat
Laruatosq̃ inter gestu contendere mimmos.
Atq̃ apii graiam saltu meruisse coronam:
Ne tamen exemplo totus desciceret orbis
Quem radiis Titan propior feruentibus urit
Arma parans: bello gentem domitare superbam
Instituit: tantisq̃ Ducem preponere rebus
Dum dubitat: tandem succurrit flauia proles.
Vespasius: natusq̃ patri uirtute secundus.
Ille quidem nuper felici Marte Britannos
Fuderat & multo turparat sanguine crines
Quos Germanus alit per candida colla reflexos.
Hic ubi laudatus dignis a cæsare uerbis
Imperium fascesq̃ tulit felicia captat
Auspicia: & Superos solenni more precatus:
Admonet e terris Natum discedere Achæis.
Dispersosq̃ phari per mollia regna mãiplos.
In Syriam transferre iubet: nec dignior alter
Quam sua progenies: patrio collega triũpho
Visus adesse Duci: Quo cum pia sæcula quondam
Duceret. & sceptrum communi laude teneret.
Ipse uiam emensus comitantibus ordine turmis
Spumanti deuectus equo: quem frena regebant
Aurea: spectandusq̃ super fulgentibus armis

Egreditur muros.abeuntem turba salutat
Circunfusa locis:iamq; omine læta futuri
Blanditur plebs tota uiro:Stant littore puppes
Armatæ/tortosq; expectant rumpere funes
Fronde coronati Nautæ data carbasa uentis
Vt placidum cepit pelagus/longoq; locorum
Appulit in Syriam tractu: Maria ultima lapsum
Quæ soror infausto signauit nomine phryxi.
Accipit antiochi tellus/celeriq; meatu
Instructam nullis Ptholemaida uiribus: Vrbem
Occupat.hic paulum collecto robore belli
Subsedit : donec phariis se lætus in armis
Adderet/& patris augeret Filius agmen
Tristibus interea monstris/cæloq; minaci
Diffidunt solymæ.Nam cladem ostenta futnram
Haud dubio terrore dabant.pia cura Tonanti
Scilicet in magnis semper fuit ista ruinis
Humanum monuisse genus.Nec publica Mūdo
Pœna uenit/cui non facies prænuncia cæli
Efficiat diuersa fidem.Sunt maxima cordi
Regna Deo/donatq; aliquid plus ille Tyrannis
Consilii:q̄; priuata sit mente repostum.
Nocte fere media protentus desuper urbi
Igneus emicuit gladius/dubieq; pependit
Sanguineis sparsus maculis:crinesq; timendi
Syderis arserunt totiens:quot Cynthius ortus

b

Occasusq; dedit per bissex signa uolutus.
Candida: nec magicas artes/inimicaq; uerba
Passa/nec a radiis: terræ mollimine: Fratris
Intercepta sui. bissenas Delia noctes
Horruit/& fusca texit caligine uultum.
Præterea. Senior festa dum luce Sacerdos
Sacra parat/uotisq; Deum circunflua turba
Antiquo supplex patrum de more uocaret:
Tantus adoratam fulgor circustitit aram
Luminis ætherei: totam diffusus in ædem
Protinus: ut nullo Titan sic mane serenus
Fulserit. applausit uisis/omenq; probauit
Ignari clamor populi. Sed pectora recti
Conscia. portantum secreto frigore carpsit:
Stabat ad ingressum: nascentis spicula phoebi
Ianua respiciens/& templi maxima summi
Aere graui/solidoq; rigens. Quæ brachia posset
Bis duplicata decem conatu ludere uano
Frustrariq; hominum nixus: uertenda tenaci
Cardine: seu clausa fuerat/siue usus aperta
Addita claustra oneri uectes/duræq; cathenæ
Qualia saturni fama est antiqua fuisse
Limina pugnaci male defensata Metello.
Ecce autem prima noctis iam parte silentis
Horrendum stridens: dictu mirabille nullo
Auditur tangente fragor: dein sponte reclusæ

Dissiluere fores penitus compage soluta.
Excussi somno ciues/subitoq; pauore
Presserunt inter trepidantes ubera Natos
Attonite Matres/ætasq; expalluit omnis.
Mox etiam auditi currus per nubila ferri
Quadriiuges. Qum maiores e montibus umbræ
Deciderent/Phœbusq; alio se mergeret orbi.
Armatæ ueluti miscerent bella cohortes
Tinnitus galearũ/& crepitantes ensibus enses
Fulsaq; ab alternis & scuta sonantia scutis.
Sed non ulla magis pulsarunt omnia mentes
Quã quæ sacricolis pauidas uox perculit aures.
Nanq; his:forte die quo Spiritus ille superna
Arce fluens:lectæ stetit in precordia turmæ
Linguarũ instar habẽs flammas: psallentibus una
Excepti primum strepitus:dein tui bida multo
Vox protracta sono. Tectis migremus ab istis
Cedatis socii mecumq; relinquite sedes.
Non hic fida satis statio discedite mecum
Ingeminans.alio requies secura petatur.
Vltima solicitis præsagia mẽtibus:ingens
Adiecit spectanda metus. Nam qualis anhelam
Passa siti rabiosa canis uexata furore
Huc illuc sine lege ruit/latratq; gemitq;
Talis plebeius:ruiture fertur in urbis
Discurrisse locos. Sanctum cui nomẽ Iesus

Cuiqꝫ parens Ananias erat: Tum talibus omnes
Ter quater & uicos miseris implesse querellis.
Quæ mihi tam longo tractu uox unica: primo
Mittitur usqꝫ die: Quis item mihi Gadibus usqꝫ
Personat herculeis. Quæ uis transuerberat aures
Ventorū: hinc atqꝫ inde meas: Vox ista maritos
Vxoresqꝫ refert Pueris uox ista minatur.
Vaeh Solymis/temploqꝫ simul uæh menia quisquis
Incolet ista diu: seu uir: seu femina. uæh uæh
Nec prohibere minæ dicētem aut uerbera possunt
Correptusqꝫ eadem repetit/cæsusqꝫ reclamat
Vocibus his magis atqꝫ magis trepidantia corda
Torqueri/& paruo querulū sub murmure uulgus
Multa loqui primo. Scæui tum causa pauoris
Erupit/cunctosqꝫ palam metus irruit amens.
Nulli cura sui cultus. Non fascia pectus
Aurea uirgineum cinxit/colloue monile
Emicuit. non aure tremens preciosa pependit
Gemma/nec in digyto fœlix effulsit iaspis.
Obmissus puerisqꝫ decor/Quæqꝫ esse solebat
Lasciuis etiam neglecta est forma puellis.
Carmina non/hymnosqꝫ libet. non cantica doctis.
Per girum miscere modis. Simul organa cessant
Et mutæ fidibus citharæ tacuere remissis
Hostia rara cadit. frustra qꝫ nocentibus ægris
Perdere thus. uisumqꝫ malis sperare salutem.

Atq; aliquis. Quid enim iratas incendimus aras
Thura quid inuito damus auersata Tonanti:
Progeniem cuius (pudet ah pudet edere) ligno
Fiximus. an non hæc uentura canebat Iesus:
Talia sed secum/paucis uel testibus: inter
Fundebat lachrymas/iramq; dolore premebat.
Ast alius casum infandum de culmine Templi
Commemorat nunc exquiri. Qum membra Iacobi
Precipitanda dedit proles uesana superbi
Pontificis/miserumq; nefas geminauit ananus.
Sic quæcunq; timent narrant interprete sensu
Quisq; suo. multis odium atq; audire uoluptas.
Nec tamen admissi sceleris mens ceca nocentum
Flectitur a culpa/perstatq; immota timendo
Vt primum hyberno torpentia frigore monit
Cornua phryxeus uector/sensitq; calorem
Conspexitq; suis assurgere pabula prato
Miles equis/& uere nouo iuuenescere terras:
Cæsareis dignus castris: ptholemaide: consul
Cuncta animo meditata graui prius: ordine recto
Diggerit/& partes classem disponit in æquas.
Ductoresq; legit bello: Quos sepe probarat
Nota duci uirtus. Iamq; expectata parenti
Appulerant. Nili quæ ducere Titus ab undis
Agmina iussus erat. primo dignatur honore
Ipse pater Iuuenem: necnon quos auxerat illi

Eufrates termille uiri parere iubentur
Consilioque iuuans comes huic & fortibus armis
Heret Alexander: casus comitatus in omnes:
Quicquid erat supra collecti roboris: ipse
Dux agit. hunc circum Patriæ delecta Iuuentus
Romanæq; manus bellis exercita classis
Addunt se comites Sophiri: ualidissima pubes
Destituuntq; suos/Populo nec fortior illo
Alter erat Galilea tibi. Proh fata Quid ultra
Auxilii: deserta tuis Iudæa reposcis:
Liqueris hei primo Martis clamore/ferosque
Incursus pateris prima impietate tuorum
Ergo ubi consertos optata in prælia uidit
Flauius: ipse ultro pauca hec ardentibus infit
Bellum ingens nobis Socii cum gente superba
Nec forti satis esse liquet. Sed prodiga uirtus
In se lapsa ruit. non hæc uictoria prima
Romans aquilis secta cum plebe Quirites
Magnus & hanc domuit templiq; ĩ limina uictor
Irruit/hicq; suos iussit stabulare iugales.
Haud impar nobis animus/nec sanguine feruent
Corpora uestra minus. Non est ubi premia noster
Expectet maiora labor/nec congerit usquam
Tantas ullus opes populus/uel seruat auare
Quicquid erit predæ uestros seruetur in usus
Me tantum magnis consortem adhibete periclis

Hic mihi pars ueniat maior. Sit frigidus ille
Decedatq; acie: Quisquis cessare uidebit
At lente pugnare ducem. Sic pauca locuto
Elatæ plausere manus/totumq; per agmen
Lauantum uox una fuit. commixtus ad astra
Clamor iit: Quantum pauidæ succurrere lunæ
Certantes populi: tinnitibus æris acuti
Ingeminant. Surdasq; deæ nituntur ad aures
Thessalicum ne carmen eat/detractaq; cælo
Suppositas lato terras simul obruat orbe.
Vt uidit pronas dictis accedere dextras
Flauius/& cupido promitti Milite bellum
Continuo turmas Galileam spargit in omnem
Ductoresq; sequi certo iubet ordine lectos.
Tum data libertas predæ. uastatque ruitq;
Obuia quieque furens Miles/omnisque timore
Concutitur Iudæa nouo. Magalia flammis
Concrepitant/tectisque suis uruntur agrestes
Obuia prodierat tanto collecta furori
Paucorum male fida manus: Quos fortis agebat
Iosipus/& dictis frnstra incendebat euntis.
Vt patuit numerus Romanæ classis & ingens
Fama ducis latii: trepidas exterruit aures
Diffugere metu exangues: ductore relicto.
Is ubi se primo percussum fulmine Martis
Aspexit/turpiq; fuga dare terga secutos:

Iotopatani celer ingreditur. tutissima Montis
Illa situ/fortiqꝫ super circundata muro.
Sic solet in cecas fugiens irrumpere fraudes
Exanimata canum latratu cerua sequentum:
Qum repetit Syluas & sueta cubilia quærit:
Irretita plagis/uincloqꝫ astricta tenaci.
Hoc erat in uotis exclamat Flauius unum.
Hebreum cohibere Ducem. procingere miles
Vosqꝫ simul pedites urbem uallate corona:
Haud segnes properant illi. tunc aggere multo
Congeritur tellus. & ne qua parte dolosam
Attentare fugam possit solertior hostis
Obsessos aditus uigilans custodia seruat.
Continuit primum dextras stupefacta Iuuentus
Et subito perculsa metu: pacem ne precentur
Seqꝫ ulto dedant hosti/portasqꝫ recludant
Incerti: patriam an dulces tueantur amicos.
At postquam caluit pietas. uicitqꝫ timorem
Menia conscendunt pariter Matresqꝫ uiriqꝫ.
Hinc atqꝫ inde uolant hastæ / stridensqꝫ per auras
Funda rotat. nimbiqꝫ instar per nubila glandes
Et formidandæ lærnæa peste sagittæ.
Doctior ars Italum sed enim se parcius infert
Nec crebro uires iactu diffundit inanes.
Lignea prouehitur moles/adopertaqꝫ terra
Paulatim labens succedit uinea muris

Qua non obſtiterant montes & ſaxea moles.
Hic latitans ferro Miles ſecurus acuto
Fundamenta cauat. magno uiolentior ictu
Incutitur creberq; aries/ac ſaxa reſoluit.
Contra impigra manus tutantum menia miſſis
Deſuper obſiſtit ſaxis/cratemq; retundit
Fruſtra ſepe lapis:facibuſq; incendere iactis
Nititur .interdum prohibent inſtare labori
Spicula miſſa procul. uitant/redeuntq;/nec unquã
Defenſore uacant ſemper loca. plurimus intra
Sternitur atq; extra. Mors ſcæua utrinq; uagatur.
Petri Apollonii collatii. Pre. No. de euerſione
Vrbis Ieruſalem. Liber. i[?]. explicit. Incipit. 2[?].

i Nterea tantos urbis miſerata labores
Cõdidit heſpiis Phœbũ nox atra ſub undis
Ceſſarũtq; auidæ ſcæuiř ĩ uulnera dextræ
Acer & inuitus repetit Tentoria Miles
Diſpoſitis tamen excubiis cecaſq; queruntur
Pro nimium timidis interceſſiſſe. latebras
Oderuntq; moras noctis/tardeq; uidetur
Aduentura dies. firmat Dux ipſe ualentes
Cuilibet immixtus turbæ/ſpondetq; ſequenti
Inſignem ſeſe uiſuros luce triumphum.
Tum dapibus ſtratos largis onerare tapetes
Vinaq; ferre iubet. iacuit difuſa per herbam
Tota cohors/interq; cibos ſua prelia narrant.

Postquam uicta fames epulis/& pectora multo
Permaduere mero: culpatos quærere somnos
Blanda quies suadet/sopitaq; corpora duro
Paulatim posuere solo. siluere tumultus
Neglectosq; cinis celauit pallidus ignes.
Sic ubi desierint reuocati carcere uenti
Ceruleam turbare thetim: spumantia sensim
Subsidunt maria/& fluctus sua littora seruant
Pacati/totoq; silescunt murmura ponto
Ciuibus: at non hec extrema pericula clausis
Otia permittunt. non his clementia somni
Irrepit dapibus uel procurata lyæo
Cura omnes fessis aliqua succurrere rebus
Arte/dolo ue mouet Qum sic dubitantibus insit
Iosipus/ingentoq; suo concepta retexit.
Accipite o Socii quæ sit sententia nobis
Et tacitis uersate animis: Si forte relictos
Aspiciat summi mitis dominator olympi
Hancq; mihi dederit mentem. Sit rupibus aspris
Vrbs hæc tuta situq; licet firmissima Montis
Fortior est artes/cæloq; educta patenti
Exuperat: quassos impellens machina muros.
Has si lignorum moles incendere uobis
Est animus(nanq; audenti res ardua nulla)
Tum facile armatas Hosti est opponere dextras
Et claustris exire palam: turbata Iuuentus

Itala dum subitas certabit uincere flammas
Atq; incerta ruens/castrisq; sibiq; timebit.
Romanos sopor altus habet. tum lumina sparsis
Viua micant iam rara locis/ & fallere nobis
Excubias ignota dabunt decliuia montis.
Hæc quoq; (ni cupidam fallūt præsagia mentem)
Haud uigilant. nullas uoces hic percutit aer.
Primus ego accingar rebus. succurrite pauci.
Non est apta dolo multorum turba latenti.
Dicta probant omnes: Sed euim hic exire uetatur
Indubios fati casus. Nec quærere longum
Audentes. cupiunt ultro/ & sibi quisque peroptat
Pro patria nunquam morituras quærere laudes
Ergo ignem occultum Sedechias lectus & una
Ismael/ atq; animo fidens/ ualidisq; lacertis
Lazarus: accipiunt. forti comitante Thobia.
Cætera se muris: quamquam indignata Iuuentus
Continuit Quos facundo Dux strenuus ore
Solatur mulcens. laudem hanc lux crastina cunctis
Offeret. huc uestras Iuuenes effundite uires
Commoda tunc: nobis pietas hæc grata futura est.
Sic qum frenatos astrinxit meta iugales
Ordineq; emissos iussit decurrere prætor.
Ire uolunt omnes primi. Quatit ungula terram
Impatiens/ & stare loco uesania nescit.
Quatuor hi. fidos accincti fortiter enses

Descendunt pariter tumulo: Qua parte uacabat
Hostis/& oppisiti montes pro menibus extant:
Circuituq; uago/uocemq; animamq; tenentes
Deuenere locum/trabibus quo machina nexis
Plurima surgenti pulsabat uertice cælum
Nec mora: scrutatus terebranti robora ferro
Ismael: ad medias circum fundamina partes
Maxima quæque forat neu uis uulcania tantum
Festinaret opus: coniecto puluere primum
Linea torta locat. atq; ignem nutrit in illis.
Fortibus hinc cuneis pertussa foramina claudit
Nec piger ipse etiam Sedechias: arida circum
Nutrimenta ferens liquido perfundit oliuo.
Arte pari nitens secretos occulit ignes.
Claudit harundinibusq; alios tentoria circum
Lazarus/& flammis aptas conterminat horas.
Proh uarios fati casus/ nec tempus ad omne
Somni blanda quies. en quos ingrata premebat
Nox modo: Sic totis pressos amplectitur ulnis
Nocturni uis magna dei: ne sentiat usquaq;
Dispositas Miles fraudes/tantæ q; cohortis
Vel tristis uigilet seruus. Sic fata uidebant
Non longum miseris tamen allatura fauorem.
Ardebant animi Sociis inuadere ferro
Fortunamq; sequi/& passim uigilare iacentes
Sed prohibet/modice q; monet successibus uti

Ismael/& duplices tendens ad sydera palmas
Inflexoq; genu: tenui sic uoce precatur.
Summe Deus/cæli/terre pelagiq; creator
Imperium qui solus habes/quemq; una per orbem.
Gens colimus rite falsis nec odora litamus
Thura Deis: hominum quos ferramenta dederũt
Follibus aut nigri iunctis fudere camini
Sed tibi solennem Templo sacrauimus aram:
Quo Sol nil oriens radios ubi tendat eoo
Dignius orbe uidet: nec mersus in æquore tergo
Deserit: o rerum pater atq; æterna potestas:
Principium finisq; idem. Rex magne. labori
Huic ades en nostro/felixq; incepta secundes.
Si non uana fides sancti per uerba prophetæ
Sacrilegos olim Regis carpsisse Tribunos
Te mandante polo flammas/scelerisq; nefandi
Quinquaginta simul famulos. Si uera priorum
Credidimus monimenta patrũ: post multi reductis
Tempora captiuis: dira Babylonis ab arce
Exiluisse nouos ignes/lignisq; receptos.
Valle latens quondã: crassus quæ sparserat humor
Cum deuota aræ Nemias iam sacra parasset.
His quoq; da robur/nostris atq; ignibus: ignes
Adde tuos. Dicens: pronus summo attigit ore
Tellurem. hinc comitum gressus ad menia uertit
Plus medio cursu phœbe confecerat orbem

Algente[illegible] moderata i[illegible]. nec corpora torpens
Deserit ulla sopor: tanquam illis cena fuissent
Credita letheas potare papauera lymphas.
Purpureos donec roseis aurora Quadrigis
Mouit equos stellasq; nouo splendore fugauit:
Luciferi tantum non indignata nitorem
Post ortus spectare suos. Qum fomite demum
Protinus absumpto flammæ erupere minaces/
Immensæq; trabes crepitum subitamq; ruinam
Horrendo fecere sono: Sic nubis aquosæ
Qum tumidum pulsant austri latus/æthera findũt
Humanasq; mouent insana tonitrua mentes.
Soluuntur pariter cannæ. conterrita surgit
Nescia turba doli properataq; tela capessit
I licet ignis edax stipulis adiutus inhesit
Et raptim tabulas/cærataq; lintea carpsit.
Ignem ignem exclamant omnes/undasq; reposcũt.
Verũ aberant longe fontes: dumq; ire propinquis
Auxilio satagit: Miles tentoria lambi
Et sua ab igne uidet trepidus/sociumq; laborem
Deserit/& propriis mauult succurrere rebus.
Ipse ruens inter cuneos (miserabile uisu)
Flauius orat opem: nigra uolitante fauilla
Vndiq;/& hostiles fraudes agnoscit & in se
Iratus mala probra refert. me (proh pudor) unum
Me ne etiam dicens: ita molis inertia traxit

Hactenus insomnes solitum deducere noctes
Cui dederit belli summā Nero/cuius ab ore
Tot mandata ferant non contemnenda phalanges
Se miserum ignauumq; iterumq; iterūq; reclamās
Huc illuc preceps rapitur/tantasq; repente
Lignorum iacuisse strues stupet: inscius artis
Iudaeae: longi quas erexere labores.
Ecce autem hostiles alia de parte cateruae
Dum trepidat/flammisq; amēs exercitus obstat
Vt primum Tubicen signum dedit aere canoro
Funduntur portis. & uocibus aera complent
Innumeris. Quales gelidam qum Strimonis undā
Densa nube grues: se primum ubi sedula custos
Tollit humo: linquunt: Nili septemplicis annem
Poturae. Spreto Miles Romanus ad arma
Igne redit/nullaq; effusi lege Manipli.
At non compositas uirtus improuida uires
Sustinuit/minimumq; pedi pes nixus adhesit.
Sed latium cessit robur. Quis uulnera primo
Impete. barbaricis quid narret funera dextris:
Pars cecidit ferro/numero pars pressa ruenti.
Omne genus teli ciuis contorsit in hostem
Perfidus. hic gladios. lernaeas ille sagittas.
Hi sudibus certant. alius stridentia funda
Saxa iacit. liquidoq; incensas aere glandes.
Fulmineum rotat anteuolans interritus ensem

Iosipus/hortaturq; suos. en gloria: frustra
Hesternæ socii noctis quesita per umbras.
Tunc sat erant pauci. Nunc illas promite uires
Luce palam. pulcrum laudes hic ciuiq; tulisse
Et spectasse suas subeant connubia mentes
Inq; sinus Matrum parui uberibusq; relicti.
Ast ubi calcari conspexit corpora Titus
Magnanimusq; pater/riuosq; undare cruoris.
Clamorem attolunt ambo. Quo uiuida fugit
Romulidæ uirtus. Sic sic obsistitis hosti:
Terga datis: firmate animos/atq; agmine bellu
Sumite. non longas furor hic durauerit horas.
State uiri. his dictis fidos componit uterq;
Ordineq; excipitur bellum. Pater ipse corusco
Ense ruens/frontem lecto comitante repellit
Milite. utrunq; latus Natus fortisq; fatigant
Traianus/donec sparsas terrore cohortes
Cogit Alexander/& rectis instruit armis.
Hoc simul incæptum est: paulum furor ille resedit
Prodigus/& fluctu similis deferbuit æstus.
Non aliter: quam si feruenti accedat æno
Parte minor calida gelidus liquor. utq; ubi maior
Follis anhelanti flatu supereminet: unda
Deprimit irrorans stridentem Mulciber ignem.
Nec multum cessere tamen tunc comminus ensis
Ense/repercussusque umbone retonditur umbo.

Hinc atq; hinc crebræ mortes. iaculatus in hostem
Hic hostis iaculo fixus cadit. inde sagittæ
Inde uolant hastæ. peditem pedes irruit acer
Atq; equiti miscetur eques. clamoribus aer
Obstrepit horrendis. tum demum uiribus aucti
Hebreos Itali pellunt/rursumq; latinos
Insurgens Hebreus agit. Nunc illa uicissim
Nunc hæc terra patet. ueluti qum littora scæuus
Adueniens operit sinuoso uortice pontus
Sicca retrocedens in se flexusq; relinquit.
Bis tenuit spacium campi. bis uterq; receptum
Amisit. rabies at postquam tertia uinctos
Conseruit/legitq; uirum uir feruidis ira/
Excessit, Mors atra modum. Tunc cede uirorum
Permixti sternuntur equi. fluit undiq; tellus
Sanguine sparsa nouo. Vix & persistere plantæ
Iam poterant. gemitus nulla non parte cadentu;
Aspera uerba/minæq; simul fremitusq; sonabant.
Pro patria stabat mortali corpore maior
Salathiel: Quem plebs antiqua stirpe Gigantum
Dixerat esse satum. duplex huic membra tegebat
Lorica/ & dextram munibat claua trinodis.
In leua clipeus nullo penetrabilis ictu
Hic instar Montis positus: quæcunq; ferebant
Obuia se: duræ mandabat corpora terræ
Emissa ferus ossa manu cum sanguine spargens.

c

Hunc ubi terribili nodo tot funera cernit
Titus acerba dare: Quamquam nō æqua gerebat
Membra uiro toto connixus pectore telum
Dirrigit. ille hastam uenientem crate recepit
Nec mora: dum primas trepidat defendere partes
Armiger egregii iuuenis laterique repostus
Inguina sublabens ferro confodit acuto.
Protinus exanimem terræ graue uulnus adegit
Oppressitque cadens ingenti mole propinquos.
Tam grauiter subitoque solent in montibus altis
Annosas Euri insani demittere pinus
Auulsas radice simul. non omnia passim
Funera/plebeiasque uacat describere mortes.
Mars utrinque tenet metas/dubiamque bilancem
Expendit Sors cæca manu. commisit & una
Ignaros fortuna Duces cupientibus ipsis.
Ac prior/hanc seu dux seu tu priuatus: habeto
Flauius/& magnis contorsit uiribus hastam.
Illa uolans clipeum: media plus parte cauatum
Perforat. & tremebunda: loco dein fixa: resedit.
Impiger exacto detruncat Iosipus ense
Herentem: nec mente carens defertur in hostem
Talia uociferans. ingratum nempe licebit
Haud tibi me dixisse hodie. nec tu quoque nobis
Degener/aut humilis tanta cognosceris ausu.
Sic ait & latum rutilanti casside ferrum

Impegit uanos conatus ærea caſſis
Deluſit. coni tantumq; inſigne decorum
Amiſit: fulgentem aquilam plaudentibus alis.
Altior inſurgens hæros Romanus: & enſem
Ipſe rotat/crebroſq; ictus patiturq;/facitq;.
Vt qnondam inter ſe demiſſis cornibus ambo
Præpoſiti armentis infligunt uulnera tauri
Seu liuor: ſiue hoc dilectæ forma Iuuencæ
Suadeat. alterni mugitus paſcua terrent.
Iam Galileæ tibi quatiebat anhelitus artus
Aeger/& e laſſo manabat corpore ſudor.
Romulei iam fama ducis: iam gloria perpes
Defecturus eras plures ſeruabat in annos
Sed lacheſis: pleno nundum tua ſtamina fuſo.
Scilicet ut tantos olim te Rhetore caſus
Exitiumq; tuæ Gentis pernoſceret ætas!.
Auxilio ſubeunt alii/pugnamq; diremit
Intermixtus eques. Media inter talia: ſtridens
(Incertum qua iacta manu) delapſa ſagitta eſt.
Sub petromadæ coxam: qua poplite iuncta eſt.
Extimuit Miles uulnus: nil territus ipſe
Spumanti defertur equo/ſternenſq;/ruenſq;
Obuia queque manu. Quem in miſeratus ab alto
Tot ſuperum rector clades/decedere phœbum
Ocius/heſperioq; caput demergere ponto
Iuſſiſſet (tantus mentes accenderat ardor

Non latura fuit numerosa cadauera tellus
Extemplo monitus Tubicen reuocare manipios
Cognita signa dedit. tunc deseruere furorem
Hi castris. illi muris/atqꝫ Vrbe recepti.
Sed longe dispar facies/habitusqꝫ locorum
Omnia turbarant flammæ. Semusta subibat
Infelix Miles :& adhuc fumantia castra
Sarcinulas sparsim relegens. hic uulnere cruris
Tardior. ille humeros quassus. caput ille cruentus
Quos uero illeso seruarat corpore Mauors:
Exhaustæ penitus uires: ubicunqꝫ iacentes
Destituunt. nec in hoste timor plus esse uigoris
Iam cuiquam est. Se communi pars utraqꝫ damno
Metitur/tutamqꝫ putat/nullæqꝫ timentur
Insidiæ/aut subito casu quæ pugna lacessat.
Ceu leporem cursu longo sectata fugacem
Sepe canis: fessum iuxta defessa recumbit.
Non hanc ferre grauis non illum præualet ultra
Spiritus. igne micant oculi /spectantqꝫ uicissim.
Contempsit primum uulnus medicamina spernens
Dum caluit Sanguis Princeps. at frigida segnes
Vt mora corripuit neruos: traxere rigorem
Proxima membra simul/totoqꝫ expalluit ore
Inter semianimus retinentum brachia labens.
Continuo sucos affert/herbasqꝫ potentes
Chirurgi perdocta manus/blandeqꝫ retractans

Hortatur: dum uita redit. Qum uertice tandem
Sublato. Natum aspexit/uetuitq; timere
Confusum lachrymis & fata indigna querentem
Tristior erumna duplici nox altera: lassis
Romanis: non ducta mero/placida ue quiete
Labitur. amissos memorat sibi quisq; Sodales/
Quosq; gemat numero dēptos statio inuenit oīs.
Nec gauisa magis successu barbara pubes
Vrbe etiam raros spectant. & funera plangunt
Haud paucæ Matres. superest audacia nulli
Iam conferre palam uires. Sed clausa tueri
Menia propositum/ cunctisq; extrema subire
Quam dare captiua colum uenale sub hasta.
Qum gelidam phœben cælo discedere iussit
Oceano Titan flagrantia lora tumenti
Expediēs latura diem. Vix erigit artus
Miles humo Latius/plantisq; fidelibus extat:
Aspiciens oculis confusa cadauera moestis
Sparata procul passim/uarioq; iacentia casu.
Quæ pius (hæc illi interior nam cura sedebat
Vulnere) dux meritis mandauerat ignibus uri
Fictilibusq; cauis lenimen tristibus umbris
Collectos cineres defossa condere terra.
Cæduntur syluæ/plaustrisq; gementibus orni
Fraxineæq; trabes/ac pinea robora mixtim
Vectātur/lauriq;/oleæq;/excelsaq; cedrus.

Hortatur fractos pietas instare labori.
Ingentes creuere pyræ: Nec ponere caris
Seposito uacat igne rogum. collecta cremantur
Corpora: congeries tulerat quot quæq; capaci
Structa sinu. surgens petit ater sydera fumus
Subiectis facibus: tenui crepitante fauilla.
Soluuntur nerui paulatim. artusq; tabescunt
Ossaq;. & exiguo grandis stat massa soluta
Puluere. nec quicquã ẽ hominũ quod cerneṛ possis
Sic Ioue corrupto quotiens inuaserit urbes
Dira lues. mixtos populos seu/flamma perurit
Seu tellus communis habet: Solennia cessant
Munera. non lnogo producitur ordine pompæ
Exequialis honor. uetat alti copia læti
Reddere priuatas urnas/sua cuique/q; busta.
Tum super hæc hosti tumulorum cessa facultas
Atq; impune suos patriis deuoluere campis:
Inficeret purum tabes ne liuida cælum.
Hæc inter: gelidas astris dimouerat umbras
Septima lux: uirtus qum nescia ferre quietem
Ductorem stimulat curis. & uulnere. Quamquam
Tardus adhuc: residere negans: iubet ocyus omne
Consumptum paucis opus instaurarier horis.
Maioresq; trabes/& propugnacula tolli.
Arma parant fabri/syluæq; impacta securis
Admittit late radios squalentibus umbris

Protinus excisum ferro manus apta dolauit
Composuitq; nemus. properantibus istat & urget
Curator magis atq; magis. Sua menibus altis
Infelix urbs damna uidet/uenturaq; fata
Cogitat/& trepidos frigus discurrit in artus.
Non secus: æterno facturus sacra Tonanti
Ante aram accintus cultrumq; grauemq; bipennē
Qum parat/& falsas fruges uittamq; sacerdos:
Hostia/uincta tremit mugituq; æra tristi
Percutit/& funem nequicquam rumpere tentat
Iosipus hortatur pauidos/celatq; timorem
Spem uultu simulans. & fortia menia: duræ
Præsidio rupis: longa obsidione teneri
Sed uinci non posse mouet. frumentaq; large
Expletura famem. tandem superesse benignis
In fatis. positumq; aliquid modo prima repellāt
Hos portis locat. hos custodes menibus addit
Intentos imis alios assistere muris
Arietis impulsum fulturos obiice mandat
Femineasq; manus/tenerosq; exercet ephœbos.
Has coquere immixtam calcem feruentibus undis
Illos missilibus uallum circūdare saxis.
Ne ue sitim quod iam latius conceperat hostis
Fontibus exclusis liquidis timuisse putentur
Iam prope sicatis puteis: rorantia uallo
Pallia suspendi: prudens solertia iussit.

Hac ope. Pelignis si credimus omnia chartis:
Qum furor Alpinus Tarpeiam cingeret arcem:
Vesta Iouis monitu caros tutata Quirites
Mittere de celsa cerealia munera turre
Suaserat. hæc quanquã restarent ultima pressis
Talia dum uates intus mollitur: & extra
Non cessante manu. nec dormitante dolabra
Procedebat opus: & grandior aggere turris
Lignea constiterat/subituraq; uinea muros.
Atq; ingens crebros aries qui funderet ictus.
Addiderat septem bissenas Cynthia noctes
Solq; sequens toto spargebat lumina mundo.
Colligit extemplo sparsas caua bucina turmas
Sub sua signa uocans. Noto stetit agmine Ductor
Quisque. uagosq; oculos coram retroq; reflectens
Prospexit numerum atq; animos in prælia fecit.
Communis prima pecoris ceu luce Magister
Ad pascenda greges acturus pascua: cornu
Conuocat e stabulis. omni suus agmine thaurus
Torua fronte preit/tantoq; exultat honore.
Cornipedis tergo residens it; flauius ipse
Concitus/& rapido perlustrans singula uisu
Incendit predæ cupidos: nec uiribus illic
Ingenio sed opus fortes excindere muros.
Instructi demum uallo exiliere soluto
Qui teretes hastas. qui spicula mittere docti

Lucida uel fundis ſtridentia ſaxa rotare
Ardentiꝗ ſono miſſas per inania glandes.
Fundere. qui rectas apti conſcendere ſcalas:
Meinbus hæc agiles paulatim turba propinquat
Telaꝗ rara procul nequicquam ſpargit in auras
Inceptura feri primum diſcrimina Martis.
Lignea tum molles: nutans ſuccedit aperto
Aere: conſpectura domos/atꝗ urbe ſuperbum
Immiſſura caput: tendat qua celſior arcus
Pugnator: iactetꝗ ignes in tecta faceſꝗ.
Armorum omne genus ſequitur. Teſtudo repẽte
Incubuit muro/& totum ſtetit aggere bellum.
At ciues: quæ ſola ſalus/extremaꝗ: muros
Circuitu denſo ſtipant. & tela remittunt
Fumanteſꝗ ſudes lapidumꝗ inſtanter aceruos.
Deuoluunt alii fumantem calce liquorem
Quicquid & extrema poterat defendere morte.
Hic rapido aſcenſu ſummi faſtigia muri
Dum prenſare manu/ſeſeꝗ immittere credit
Voluitur in preceps reſupino corpore duram
Tellurem plangens/atꝗ atro ſanguine fœdans.
Ille petens arcu delectum tardior hoſtem
Stridentem pennam ſentit prior/& ſua retro
Spicula deuertens una conuoluitur ipſe.
Perdebat miſeros ingens ſed machina ciues
Nec cæli inſidias/& aperta pericula terræ

Euitare datur pariter: Velut æquore pressus
Nauita tyrrheno: puppim imppellentibus euris
Inde timet fluctus/insurgentesq; procellas
Illinc crebra Iouis ueniunt quæ fulgura dextra.
Irrequieta ferit portarum obiecta securis
Cardineq;: obnixi tentant euellere postes
Ferratis Itali sudibus/nec pectora terret
Telorum imber atrox: duro sed uertice perstant
Immemores læti: multos licet usq; ruentes
Aspciant/calidus circa precordia sanguis
Ebullit uanumq; expellit corde timorem
Nec minor est intus rabies/duratq; salutis
Spe: deserta salus. Idem puerosq; senesq;
Ardor habet patriæ/cunctisq; pericula uires
Vltima sufficiunt. Coniunx noua tela marito
Porrigit. hortatur Natum iam marcidus æuo
Stare pater/quasq; ipse pōt tremebundus obit res
Omnia femineis ululant percussa querellis
Infantesq; solo proiecti a Matribus/edunt
Vagitus/rerum ignari. illæ postibus herent
Complexæ/& summo prohibent e cardine uelli.
Interea crebros immansuetissimus ictus
Fert aries semperq; aliquid de parte petita
Dissipat/insistunt ceca testudine tuti
Nituntur q; aditu latas aperire fenestras
Infési: Quāquam occiduas iam lapsus in undas

Phoebus erat/toto radiarentq; æthere stellæ.
Sustulerat nitens immani pondere saxum
Quod duo uix lassa traherent ceruice iuuenci
Lazarus: in mediam conatus mittere cratem.
Ecce autem: elatum dum librat in aere: muri
Arietis impulsu nimio pars magna: ruinam
Terrifico traxit sonitu. longeq; reiecit
Extantem: multa confectum strage uirorum.
Protinus æneadum ferit aurea sydera clamor
Certatimq; ruunt: Qualis qum spumeus annis
Aggere riparum furibundo flumine rupto.
Arua tenet late/agricolum perditq; labores.
Paucorum uano conatu obsistere uirtus
Obiectis trabibus mollitur & assere multo.
Vincebat maior numerus/totamq; repente
Diffusus Miles compleuit cædibus urbem.
Quis cladem illius noctis/Quis carmine narret
Funera: Non solas rabies effrena luporum
Sic inuadit oues/& parcius indica Tygris
Desertum pastore pecus laceratq; trahitq;
Multiplici iugulo rictus infecta cruentos.
In census nulli parcit furor. effugit ætas
Iratas non ulla manus. loca nulla salutem
Promittunt. ipsis templi rapiuntur ab aris:
Vrbis ubi excidium. perfractaq; robora uidit
Iosipus/& totas late errupisse cateruas

Inuenit arte fugam. frustraq; opponere uisum
Se solum/& tantis caput obiectare periclis.
Ingens forte fuit montis spelunca recessu
Paulatim spacium: propior quo nubila cernit
Attenuans/putei in morem uallata corona
Desuper intus aquæ nullæ/subterq; cauatus;
Introrsum locus/& pendenti fornice tutus.
Hic se: bissenis extrema sorte receptis
Occuluit: cecæ noctis caligine fretus.
Sic placitum Fatis meditans. Nam spiritus illi
Fatidico sacram pulsabat Numine mentem.
Tristibus interea cælo labentibus umbris
Desceuit Miles iugulo/moribundaq; pulsant
Vndiq; membra solum gemitus/miserandaq; uocũ
Lamenta augentur. nulli distringere ferrum
Vltra animus. pars in gladios ceruice parata
Irruit. ipsa suis se pars ulciscitur armis.
Postera lux aderat: Qum demum fessa remisit
Ira truces enses: paucisq; in uincula missis
Donata est ingrata dies: ne corpora desset
Qui saltem flammis mandare iacentia posset.
At Petromadæ mentem. Ductoris Hebræi
Cura tenet/uilemq; putat duxisse triumphum:
Si caput hoc desit: currus noua pompa superbi.
Hunc optat uotis. hunc predæ conferat omni
Inuentum. mandat latebras scrutarier imas

Versariq; domos/sacri locaq; abdita Templi.
Omnia collustrant famuli/preter q; reuersi
Terq; quater q; locum inspiciunt lusiq; recedunt
Ille latet: qualis uulpes elapsa sagaci
Nare canum trepidos artus collecta sub antro
Auribus excipiens latratibus aera pulsum
Commotumq; nemus. calcata sepius hostis
Præterit ignarus fouea/nec sentit odorem
Nam cohibet pressis animam fera callida labris:
Quæritur & media iaceat si forte ruina
Obrutus/aut inter prostrata cadauera terræ
Pallentesq; diu facies/ac corpora uersant
Noscendi studio intenti. Sed uiuere cæsar
Non dubitat. rursumq; placet custode frequenti
Obseruare uias: ne qua queat arte dolosam
Attentare fugam/cupidasq; euadere dextras.
Heu frustra quenquam Diuis obstantibus ausum.
Tertia iam stellas oriens aurora fugarat.
Qum deprensa: dolum mulier lougæua retexit
Victa minis. tum læta cohors uolat ocyus illuc
Circunfusa loco certatim/ac nomine quærit.
Dantq; fidem Gallicanus paulusq; Tribuni
Commendantq; ducis mores. nil mitius illo
Pectore. dicta leues rapiebant irrita uenti.
Ille nihil contra. donec se tertius addit
Cognitus ante Viro facunda uoce Nicanor:

Miscerent quam bella manus. is flectere solus
Herentem potuit/mutasq; resoluere fauces.
Protinus adductis inuadens pectora palmis
Heu miseram clamat sortem. Quæ numina tantis
Inuito fauere malis: cur fundere uitam
Hanc ego non potui bello/& felicibus umbris
Ire comes. Qum sublato mihi flauius ense
Institit. ingrati cur me rapuere sodales:
Tunc non uulneribus potui cecidisse pudendis.
At subeo nunc seruiles inglorius hastas.
Aut spirantis adhuc artus premet horrida tellus.
Lucentes en cerno faces. Quæ prima relinquam
Co nsilia infelix/aut quænam extrema subibo:
Te tamen o summi Rector iustissime mundi
Omnipotens testor: quando omnis lapsa recessit
Ad Latios fortuna deos: non proditor: hosti
Victas tendo manus ducentia fata secutus.
Talibus infremuit dictis mens scæua Thobiæ.
Teq; ait o Patriis procul infodiende sepulcris
Degener o Sanguis/te ne hæc exempla decebat
Nunc dare/Romanas igitur sectabere leges
Atq; infame iugum melius/uitamq; pudendam
Orbe feres alio: patriæ quã reddere dignam
Extinctæ: Quænam lucis tibi dira cupido:
Quod si mens eadem nostris/ardorq; fuisset
Ciuibus: haud tanto maduisset sanguine tellus.

Patricios nundum mores/ infidaq; uerba
Expertus prodire paras. Quis dignior ensis
Per pectus transire tuum: quam tibi cingit
Forte latus: timidæ meditaris parcere uitæ
Nequicquam. alter erit qui te isto munere donet
Sic prior ille uno socii simul ore fremebant.
Infelix quid agat: supra caput aspicit ignem
Ferrum infra. blandas iterum conuersus ad artes
Incipit. hunc oro fratres arcete furorem.
Nam temere: acceptam diuino Numine: nulli
Fundere fas animam. metas semel omnibus æui
Perscripsit natura potens. nec tartara quenquam
Acrius excipiunt: quam qui sibi fata recidit.
An si commoto iactetur Nauita ponto.
Et certent tumidi pupim discerpere uenti.
In mare se mittat preceps/clauumq; relinquat:
Quin potius ducat quo Sorsq; Deusq; sequatur.
Ponere non uitam/sed recte tradere laus est.
Forsitan afflictis rebus meliora dabuntur
Nec res tota perit. Voces minus audiit illas
Turba fremens: quam Neptunus pia uota precatũ
In scopulos quotiens ceciderunt uela sonantes
Nudarant gladios. ergo immutabile pectus
Quandoquidē uobis repetit: iam non precor ultra
Parcite sed proprio dextras scelerare cruore
Parcite uos oro/cædisq; immittite sortes

Inq; uicem petite gladiis laudauit ineptus
Verba ducis uasri numerus /sortesq; recepit
Compositas. miseris equidem solertia rebus
Accedit/ mentesq; acuunt aduersa sagaces
Iam de tot Sociis per mutua uulnera cæsis
Huic super unus erat. ueniaz qum tu quoq; clamat
Abnuis an ferro mecum contendere mauis:
Viue libens/nec te fortunæ subtrahe magnæ
Imperiis. Sic illa iubet. parere necesse est.
Ille graui simnl aspectu/facieq; iacentum
Dirriguit/ferrumq; manus tremebunda remisit
Verbaq; uix habuit. ueniam quo iusseris ultro.
I, sequar. elatas: plaudenti milite: palmas
Commisit tandem funi connexus uterq;
Millia circunstant hominum. pars ludere capto
Pars misereri habituq; uiri commota uerendo
Instabilis uersat fortunæ pectore mores.
Vt stetit ante ducem/paulumq; immota silendo
Lumina continuit. uocem sic pectore rupit.
Si me cum patria uoluissent maxime ductor
Fata mori: poteram nuper tibi gloria maior,
Oppetere infesto (scis ipse) ereptus ab ense
Nec mihi cõtigerat cædis male cognitus autor
Obscurus ue feri subiissem tartara ditis.
Verum Tarpeias arces deus ipse uidere
Me uoluit/casusq; meæ te Cæsare: Gentis

Dicere: Quos olim non indignabitur ætas
Tu quoq; sponte leges. Nec me tibi uana referre
Crede metu. calet hic diuino spiritus igne
Instinctuq; dei loquitur. capitolia scandes
Victor /& augustum nomen/sedemq; tenebis.
Post uarios rerum motus: ter curia regni
Mutatura gradum: tandem te præside sidet
Pace fruens/Natusq; Patris succedet habenis.
Quod si seruitium non effugisse licebat
Sorte mea lætor. niueos anteire iugales;
Haud me peniteat depressum colla cathenis
Dum currus sim pompa tui nec dura recuso;
Vincla pati dum certa fides mea dicta sequatur.
Nec uero hic animus mortem: si iusseris: horret
Id modo fata uelint. Subridens flauius istis
Et tua magna tamen dixit cum fata resistant
Quæsiuit uirtus latebras. Quid fallere Numen
Dux bone tentasti: Romæ nil tactus amore:
Pone metum/nobisq; opta mens prescia quicquid
Concipit/aut nostro melior tibi spirat apollo:
Gratus eris si uera canes/Sic pauca locutus
Cautius optanti Nato donauit habendum.
Petri Apollonii Collatii. pre. No. de euersione
Vrbis Ierusalem. Liber 2ᵘˢ. explicit. Incipit. 3ᵘˢ
d Vm sic læta ducis primo Fortuna labori
Aspirat/totasq; domos & menia: durus

Sternit humo Miles: tenues uentosa per auras
Fama uolans falsis Solymam rumoribus implet
Hebreum periisse Ducem/Patriæq; supremum
Pugnando in medios hostes fudisse cruorem.
Consequitur tãquã trepidans pauor/oraq; anhelo
Huc illuc passu uoluens: iubet omnia credi.
Nec procul esse refert turmas/iamiamq; uideri
In portis densaq; urbem uallare corona.
Cuncta timent miseri/creduntq;: instante fauore
Et fingente magis. nulli mens integra. nullum
Consilium. tantum feritas innata malignis
Cordibus/atq; odium simul implacabile perstat
Communes luctus urbis cito credulus error
Promeruit cultusq; atros & publica passim
Funera. nec talis pietas ingrata tuorum
Esse tibi potuit Ductor captiue uidenti.
Te pueri matresq; una/teneræq; puellæ
Te tardi/fleuere senes. hos risit honores
Et meliora suo fecit Deus omnia uati.
At postquam latiis compertum uiuere castris
Victoresq; sequi: pietas turbata furore
Protinus abscessit/nimiusq; efferbuit ardor
Mensibus insanis. Tum iurgia scæua referri
Cepta palam. pars ignauum/pars prodere ficta
Obloquitur uirtute suos fremit undiq; uulgus
Laxis ira ruit frenis/patiturq; furentum

Rapta domo pœnas: coniunx annosaq; Mater
Infelix puer miseri spes una Parentis:
Nexi omnes/æquata solo fastigia tecti
Sic aliqua stipulis ignem qum parte receptum
Adiuuat inspirans Boreas: rapit omnia latæ
Flamma uorax/totumq; furens depascitur agrum.
Cura dei uates/semperq; astricte Latinis
Moribus. hinc ingrata cupit tibi patria pœnas
Illinc Graiorum leuitas. Sed munere dextræ
Cæsareæ tutum tua te fortuna reseruat.
At genitor Titi: ne quo langore moretur
Fortunam: quicquid Galileæ finibus usquam
Esse uidet: semel immisso prosternere ferro
Concipit/& ne quid tantis conatibus obstet
Extremum bello Solymam seruare laborem.
Ergo Iope casus iterum tentare sinistros
Ausa: cadit pelagiq; sinu male fisa/Iuuentus
Naufragio falsos noctu bibit obruta fluctus.
At quos incolumes tenuerunt littora: ferrum
Abstulit incautos/frustraq; ex æquore lapsos
Excepit leges/Romanaq; fœdera primum
Vicinis edocta malis urbs altera: nomen
Cui dederat: Tuscis dederat qui nomen & undis.
Atq; utinam Tarica tibi uesana fuisset
Mens eadem: puras Genesar nec sanguine tanto
Infectus mutasset aquas: ubi uiuida Titi

Emeruit uirtus mansuram in sæcula laudem.
Saxeus hac urbem murus cingebat. at illa
Parte lacus. stabatq; manus pro menibus omnis
Stagnanti confisa uado. Se feruidus altis
Immisit Iuuenis/nandoq; emersit ab undis
Vlteriore loco primus. Stimulata pudore
Cætera turba secat fluctus/ensemq; natando
Quisq; trahit fidum lateri/parmamq; reiectam.
Quales pacato dicuntur nare profundo
Delphines: glauca gibus quibus eminet unda
Horridior. Ciues pelagi fera monstra putarunt
Attoniti. dicto citius sit agmine littus
Complerunt ensem rotat acer Titus/agitq;
Pallentes. idem Socios fert impetus omnes
Corpora cæsa ruūt passim/crassumq; cruorem
Terra bibit. subitos multi conscendere lembos
Molliriq; fugam stagno. sed littora cingi
Vespasius/celeriq; rates iubet arte parari.
Nec mora consertis facies stetit horrida belli
Nauibus/& terra scæuit Mars crudus & unda.
Quod fuga cuiq; dedit telum improuisa. timorq;
Vtitur. hic saxis. hic ensibus. illi sagittis.
Mittitur: & tales Remus non factus in usus.
Stabat adhuc. Stagni candor. sed ferrea postquam
Comminus arreptas tenuerunt uincula puppes:
Aere conspicui fulserunt protinus enses.

Innumerasq; furor strages dedit. unda nitorem
Ammisit/tetroq; inuoluit sanguine lymphas.
Iamq; manus herent manibus/puppemq; retundit
Puppis/& abiectis innectunt brachia telis.
Obnixi tendunt pars utraq; pondere naues
Mergere/& alterno miseranda cadauera iactu
Proiciunt/iterumq; incendunt prælia functi
Semianimes annant alii/iaculisq; petiti
Deficiunt/subeuntq; exhausto corpore stagnu3.
Ingeniis atq; arte ualens Romana Iuuentus:
Puppibus occultos iaciens hostilibus ignes
Omnia corripuit flammis/aptamq; carinæ
Materiam tribuere focis/grauiorq; sagittis
Et iaculis fuit illa lues. Quas deniq; partes
Effugiant miseri: quæ prima pericula uitent:
Scæuit atrox muris Titus nec mitior unda
Pugna calet. denso seruantur milite ripæ.
Flamma uorax propior: Quā dum uitare laborat
Vno turba loco trepido congesta timore:
Pressa labat/fluctuiq; subit male cauta carina.
Hi tabulis herent: quamuis ardentibus. illi
Extendunt fessas ægre naualibus ulnas:
Iam de tot lembis nullum superesse uideres
Partem ignis partem gurges absumpserat altus.
Romanæ plausit uolitans uictoria classi.
Parte alia miseras clades/& funera Titus

Haud numerãda dabat. Sic qũ Iouis armiger albos
Ore fero ripis Meandri inuaſit holores
Accipiter ue alta latitantes turre columbas
Vngue truci: roſtroq; petens: ad prelia uulgus
Deficit ignauum. gladiis ſed parcere tandem
Veſpaſius Nato mandat / cunctiſq; quietem
Imperat ingratam mitis pater/& dare uinclis
Relliquias. Venit plebs numeroſa ſub haſtam
Captiuiq; gregis turbæ par defuit emptor.
Neſcia ſtare loco uirtus infracta. rebellis
Mœnia confeſtim Gamalæ contermina Monti
Aggreditur. Suetas igitur Romanus ad artes
Nititur/& grandes impellit machina muros
Appoſita quoq; crate. Aſt ipſi ſaxa fragore
Ingenti ciues. & tela inimica retorquent
Deſuper infenſi. Sed non mora longa labori
Indulſit uano: foſſis iuuenta feneſtris
Qum uia fecit iter/labefactaq; pondera traxit
Haud partem muri exiguam. ruit ilicet omnis
Turba ſimul uictr ix/ac primos enſe trucidat
Pallentes fugiunt alii/montemq; propinquum
Aſcenſu ſuperant. atq; hinc iaculantur in hoſtes
Tella manu. ſaxis crepitant decliuia miſſis.
Hic anceps fortuna fuit. numeroq; ruentum
Scilicet ingenti uirorum anguſta nocebant
Nec iaculum fruſtra aut ſaxum de monte cadebat.

Vt uidit crebras mortes dux ipse suorum
Romuleus: densas spargit per tecta cateruas
Securosq; iubet tabulatis eminus altis
Excipere aduersos ictus hostiq; referre
Spicula. consilium sed enĩ Sors improba lusit
Euertitq; pium. cumulo nam uicta uirorum
Cesserunt honeri & casum tabulata dedere
Corporaq; ingenti pressere atq; arma ruina.
Sic fallax fortuna tulit: sine honore sub umbras
Tot fortes animas infausto mittere casu.
At iudæa manus sumptis animosior armis
Iam non saxa rotans sed strictos comminus enses
Deserit obsessum collem: Quantusq; malignis
Mentibus ardor erat uindictæ: robore tanto
Irruit/attonitosq; noua formidine sternit.
Iamq; fugans hostem fugit hostis/& omnia uersat
Perpetuum nulli seruans fortuna tenorem.
Abscedunt uicti & retro dare terga coacti
Romulide. Quosq; effracto modo robore muros
Impulerant trepidi repetunt/ac mœnia linquunt.
Destituisse ducem ignari. circunuenit ingens
Obsessum populus paucis comitantibus illum.
Saltibus ut quondam anguste siluestribus actum
Conclusere canes aprum: sua uulnera quisq;
Hinc atq; hinc inferre cupit. latratibus auræ
Commixtis resonant. dentes mouet ille cruentos

Ante retroq; cauens morsus/semperq; recedit.
Importuna minis nec non & uiscera sæpe
Dissipat: haud aliter turmis sese explicat ipse
Vespasius/clipeoq; emissas excipit hastas.
Ante oculos leti species horrenda uagatur
Huic tamen/& tanto comitem non esse periclo
Gratatur superis Natum/tacitusq; præcatur
Vt saltem cineres urna tegat ille paternos.
At: pauci quanquam Socii: pro uiribus obstant
Paulatimq; uiam reserant portæq; propinquant.
Consistunt hostes magis ac magis/agmine denso
Et clamore cient alios. Vix sensit abesse
Itala tandem acies Ductorem/animisq; receptis
Auxilium latura redit. Sic deniq; castris
Redditus effugit fortunæ uulnus acerbæ
Inq; suis paulum requieuit spiritus æger:
Circum omnes moesti stabant/tacitiq; dolore
Et miseræ damno sortis. Qum tristia mulcens
Pectora: facundo Ductor sic incipit ore.
Nulla fides Socii rebus firmanda secundis
Fallacisq; Deæ Vultu regit omnia fatum
Nec rota consistit Mundi. contraria lætis
Sed neq; perpetuo uoluit Deus esse. uicemq;
Permutare dedit: ceu quondam nubilus aer
Et grauis imbre tumet: placida nunc luce nitescit.
At uirtus æterna manet/celsumq; procellis

Exerit una caput dubiis: laudabile quicquid
Feceris: hoc uiuet semper. Virtutis ad arcem
Non timor ignauus. non molis inertia scandit
Sed labor / & toto manans e corpore sudor.
Hac duce firmentur gressus / lassasq; resumant
Constantes animi uires. insistite ceptis
Vulnere nec primo fortunæ tradite dextras
Aduersos casus qui sustinet omnia uincit.
Huic etiam restant urbi sua fata: nec inter
Hæc fines Galilea tuos felicior armis
Romanas franget uires. postquam ista locutus
Ad sua signa iubet confestim quenq; redire.
Ecce autem magno feruent dum castra tumultu
Redditur a Syriis Patri gratissima Proles
Titus agens mandata locis. quo deniq; uiso
Plaudentum innumeræ complerunt æthera uoces.
Ille parum faustos casus / pugnæq; cruentæ
Detrimenta uidens: accensa feruidus ira
Incaluit. Quantum lustris hyrcana peractis
Dum redit / & raptos Tygris circunspicit antro
Audaci furto catulos. furibundaq; cautum
Insequitur raptorem & peruolat ocyus euro.
Nec mora: compositas acies præit. obuia sternens
Corpora queq; manu ualida & mucrone corusco.
At fugitiua cohors iterum se culmine Montis
Colligit: angustis arcens amfractibus hostem

Prospectu confisa loci. rursumq; sagittis
Emissisq; alte telis/saxisq; repellit
Conantes superare gradus accliuia fessos.
Plurimus in tergum miles cadit/atraq; fuso
Saxa cruor madent/elisoq; icta cerebro.
Par fuerat primæ clades. Sed passus ab alto
Haud ultra infidos populos gentemq; superbam:
Fortunam deus obuertit/boreamq; cauernis
Explicat æoliis/& montem turbine scæuo
Inspirare iubet. Sic quod peruincere dextræ
Non poterant spacium iaculando: spiritus acer
Perficit/inq; acies aduerso flamine cæcas
Pila gerit/facilesq; uias ascensibus addit.
Continuo cessere loco/nec tela ualentes
Nec uentum perferre diu. subit Itala pubes
Acrior/& fusos passim detruncat/agitq;.
Proh diri rabies uulgi sperare salutem
Effera corda negant: Latum sed prouocat hostem
Crudelemq; facit feritas conspecta Quiritem.
Nanq; sinu Matrum uulsos misere parentes
Præcipites multi Natos spectacula leti
Horrida/seq; super uicina in ualle dedere
Coniugibus misti. Que nunc clementia Titus
Exclamat nobis in fata ruentibus ipsa
Esse potest Socii: nulli iam parcere fas est.
Exemplo sumus ecce truces. Perstringite ferrum

Et simul innocuis animas miscete nocentes.
Non ita se uinclis qum soluit aquaticus hauster
Concretasq; niues hyemis glaciemq; rigentem
Dissipat : exundant resoluto frigore campi
Infelix quantum tellus torrente fluebat
Sanguine cæsorum. tantis nec prodigus ensis
Cædibus abstinuit: donec qui uulnera ferrent
Iam dessent. iugulumq; manus non inuenit ullum
Vix unquam tam dira lues aut tabidus aer
Exhausit plenas urbes/tellus ue dehiscens
Vel subitis adoperta uadis. non coniugis uxor
Hic superest: busto quærēs exangue cadauer
Quiq; patri Natus supremum impendat honorē
Patronum ue cliens/aut fratrem exquirere frater
Possit/& officium socio prebere propinquus.
Ipseq; prostratum: postquam deferbuit ira
Aspiciens uulgus: moe rens tot funera uictor
Horruit/& sera pietas se mente recepit.
Quis rogus hos quæ fossa ferat: ne temne laborem
Nunc Romane alium/& ualli superinde montem
Confundatq; uagas umbras commune sepulcru m
Nam si tabescant sub aperto libera cælo
Et turpes dirrepta lupi/foedæq; uolucres
In diuersa ferant: nullum hec tibi membra relīquēt
Aera. quem tuto ducas pulmonis hiatu.
Exitus hic Gamalam tristis deduxit/& inter

Iam fines Galilea tuos: felicibus armis
Giscala restabat. Quo se ductore Io anne
Contulerat fugitiua manus: consueta rapinis
Cum duce turba suo, cecis latitare cauernis
Ad predam/& flexos tractus ambire uiarum.
Hanc ubi cinxerunt Aquilæ: non ausus apertis
Predo nocens timidam bellis opponere frontem
Officio fretus tenebrarum: nocte fefellit
Limina custodesq;: fuga sibi tutior una
Visus/& ad solitæ melior commertia uitæ
At bona pars urbis uafri decepta latronis
Consilio: totas arces & mœnia pandunt
Submissiq; rogant ueniam/pacemq; reposcunt.
Accipit hos ultro non aspernatus inermes
Vespasius/placidamq; iubet sperare quietem
Et pactis seruare fidem. Sic obside misso
Azotus sese dedit. Sic rhamma querellis
Plena piis olim plangentum pignora Matrum
Rapta neci. Qum sacrilegus iugulare Tyrannns
Mandaret/dirusq; impleret iussa Satelles
Non domini uotum tamen expleturus iniqum
Aegypto celante Deum. præit agmina uelox
Gloria: felicem ducibus quacunq; triumphum
Iniecta factura manu. Gadaramq; simulq;
Cæsaream subicit: priscu; cui nomen ademit
Herodes: frustra Augusti blanditus honori:

Quæ dum sic lætas agitat per nubila pennas
Ante uolans/ regniq; caput: spe flauius alta
Concipit oppressis Solimam super addere mēbris
Ecce nouos mouit latio fortuna tumultus
Inuisumq; orbi rapuerunt fata Neronem:
Criminibus positura modum: Nec tristis Herinis
Maturo uoluit sceleri quæsisse ministrum:
Plus propria lætata manu/quam sanguine sparso
Polluerat totiens: feritas innata: suorum.
Aetas illa tibi quantum fortissime uindex.
Et tibi Galba senex pro tantis debuit ausis.
Vos animas ulti circum caua busta uagantes
Patricias: quas ira ferox impune Tyranni
Tot prius abstulerat urbi seruire coactæ.
Ille dies miseræ Matris solatia fato
Intulit. ille tuos morum Sanctissime cultor
Placauit manes: teq; o Stirps claudia. lautis
Hei male confisum mensis latitante rubeta.
Nuncius hic: auidam belli: desistere paulum
Admonuit flaui mentem: Dum summa potestas
Nutaret/sceptrumq; urbi fortuna pararet.
Vt uero hyspanis suffectum prodidit armis
Fama uolans Galbam: domino deferre salutem
Nec uexata sinunt hybernis æquora uentis:
Militis inuicti ueritus torpescere dextras
Et fractas hosti uires animumq; redire:

Rursus ad arma uocat Sotios/collesq; uirentes
Scandit hydumææ: Qua nō regio altera palmis
Notior: ad medios ares arctonq; rigentem
Hic Siriis illinc Arabum contermina syluis.
Affaca dirripitur. Solymæ quoq; proxīa Thebrō
Absumpsit posthanc capharam uulcanius ignis.
Qum celeres rumor quatiens in nubibus alas
Cæsaribus raptis miseranda sorte duobus
Sordida despecti defert affixa uiteli
Signa foro. totis confestim iurgia castris
Exciuit Miles: tam fœdi sceptra clientis
Per lusum delecta fremens. Si iura creandi
Cæsaris arma tenent/subitiq; in classe tumultus:
Non animum flaui meritis: non desse fauorem
Crebrescunt fremitus dicentū & murmura crescūt.
Vt nemoris densi primum qum suauior aura
Commouit leuiter frondes: mox uiribus aucta
Concutit & ramos. dubiis tum robora nutant
Verticibus: nunc depressis/nunc ære raptis
Quos ubi persensit motus: uocat ocyus ipse
Concilium ductor/cunctisq; tacentibus infit
Omnia Sors uersat Socii. Quod Roma queratur
Infelix sed semper habet: nunc subdita scæuis
Imperiis: nunc ciuiles discordibus armis
Secum experta manus. en per bissena uoluto
Nundum signa poli phœbo: ter subdola fasces

Augustos fortuna nouat: sene sanguine nunquaꝫ
Hoc molita nephas. trepidi nunc uictor othonis
Nescio quis Latia de maiestate superbit.
Consule nunc Miles: tanto discrimine rerum
An parere uelis Aulo. Si facta probantur
Et sedet hoc animo cuius acquirere nomen
Accedam uotis. Non hic me (credite ciues)
Tangit honor. nec blanda loquens suffragia capto
Quem sors cunqꝫ dabit maneã sub principe ductor
Dum nobis comitatus eam. Pars magna laboris
Hacten᷾ exacta ẽ. Solymã quoqꝫ uertere dextræ
Hæ poterunt: Iudæ regni columenqꝫ decusqꝫ.
Audierant: Quinto cerealis in agmine rector
Qum sic orsa refert. Priuato nomine iam non
Appellande mihi. Quid iustæ munera Sortis
Dissimulas Cæsar? Dominum te maximus orbis
Et tua deposcit probitas/conspectaqꝫ Virtus
Ac summo laudata Ioui. petit ille iugales
In sua templa tuos. Tarpeiaqꝫ limina pandit.
Vulsa Solo/frondesqꝫ nouas induta cupressus
Nunc habet illa fidem / Mathachiademqꝫ locutum
Vera tibi uatem/& Carmelli oracula disces.
Credere te superis ultro poscentibus aude
Nec pronos animos populi seruire uolentis
Aspernare tibi. Plena sic uoce loquentem.
Prosequitur laudans castris fauor omnibus idem.

Tollitur ad cælum clamor/dextraq; patenti
Certatim iurata fides. persoluere grates
Ipse uerecundo conatur flauius ore.
Iamq; salutatus uix nomen credulus audit
Cæsareum/mentemq; innata modestia pulsat.
Sic post phlegrææ tutus descrimina pugnæ
Imperium cæli/terræq;/marisq; profundi
Iuppiter accipiens: cetu plaudente deorum
Stelliferum pressit solium/Phœboq; canenti
Gratatus primum reliquis hinc ordine diuis.
Ergo ubi se tanto subuectum culmine tandem
Credidit/Aegypti Regnum munimina prima
Et phariam sibi iungit opem: Nec sera Tyberi
Auxilia accreuit poscenti prona uoluntas
Niliacis præfecta uadis. de more uetusto
Insuper Eoi Reges misere coronas.
Legatusq; frequens inopinæ gaudia sortis
Testatus: uerbis animum firmauit amicis.
Armaq; pannonios inter cessantia fines
Nequicquam partes consectatura uiteli:
Accessere nouis: nullo cogente triumphis.
Scilicet hunc populus: iustæ non immemor iræ
Prodiga multiplicis ructantem fercula cenæ:
Inferias misero confosum misit otoni
Calcatumq; diu/& confusum sorde cadauer
Excepit flauas missum Tyberinus in undas.

Sed fugit interea tempus uelocibus horis
Singula: dum Martis capti sectamur amore
Longius atq; operis nostri producitur ordo.
Hic labor. hoc cœptũ ẽ: Solymã expugnare potẽtẽ
Antiquamq;: nouo uersu celebrare ruinam.
Nunc mihi pyerides heliconis Numina Nimphe
Huc facilem prestate uiam/ sitibundaq; labra
Tingite Castalii laticis perfusa liquore.
Hoc quoq; (si liuor dentes compescet acerbos)
Viuet opus / nosci poteritq; minoribus olim
Ingeniis. Quæ grandiloqui tentare Maronis
Nec poterunt Vatis reboantia carmina iberi
Aut Calabri: longe uestigia sancta colentis.
Omnia nec priscis etiam cantata poetis
Et quãquã plenos astringens leua maniplos
In segetem dextras primorum armauerit altam
Rara tamen falcis tractum uitauit arista
Quam legat erranti gressu/ pauperq; recidat;
Messor/ & ipse domum paruo se fasse receptet
Hæc ubi fœlici cernit procedere cursu
Omnia: Romuleam Cæsar uenturus ad urbem
Talibus alloquitur Natum/ procerumq; cohortes.
Maior cura mihi (Superis ita cedere uisum)
Romulidæ: tuq; ante omnes carissime Nate.
Traditur/ & tantæ subeam qui pondera molis
Credor ego dignus: uestro diuumq; fauore.

Malueram quanquam priuatus (testibus illis)
Prelia cepta sequi/& patriæ donare triumphum
Quæ mea uota tamen(desit nisi uestra uoluntas
Sub Toto meruisse Duce) non irrita Diui
Efficient. nec nos hunc inuideamus honorem.
Communem semper patri Natoq; laborem
Experti. magna ceciderunt parte superbæ
Vrbis opes/perstatq; informi robore truncus
Decisis circum ramis. iamiamq; securim
Ipse timet. breuis est uestris labor additus armis.
Quem sine me si ferre libet sub præside Tito
Letus ad Augustam sedem/patriamq; reuertar
Sin remeare domos dulcesq; reuisere natos
Consortesq; thori libeat: non gaudia solus
Vlla ego uestra moror. fidei date signa uolentis.
Quod si conspecto mentem pernoscere uultu
Sepe licet: Summæ cupitis preconia laudis
Omnibus & uotis Solymæ (cognosco) ruinam
Poscitis. applausit dictis exercitus omnis
Et Titum innumeræ misere ad Sydera uoces:
Ergo ita compositis rebus: Qum piscis aquosi
Linqueret hospicium Titan: frontemq; moueret
Arietis insani: securis credita uentis
Sulcat aquas/pelagoq; uolans petit Itala puppis
Littora. Signa mouet ruituram Titus ad urbem
Pars Syriæ (Si uera fides scriptoribus ipsis)

Iudæam: longe quondam lateq; patentem
Fecerat. hincq; suis Galileam finibus ipsa
Excipit inde arabes Lageaq; regna parcam
Contingunt: pariter disperiaz montibus aspris.
Quas inter medius: Pancade fonte benignis
Iordanis discurrit aquis: nec dulcia mutat
Pocula: Sulfureo donec cōmisceat annem
Asphaltite suum. Simul his emersus ab undis
Vallibus ut primum liber discurrit apertis
Fundit & ipse lacum: nomen cui mobilis aura
Ore dedit patrio. Forti circum oppida muro;
Plurima: Qua phoebus spectat nascensq;/cadensq;
Quaq; uenit pennis auster pluuialibus humens.
Cellior. at cunctis Lybiæ ceu montibus altis
Extabat Solyma: medium telluris apertæ
Credita habere locum. titulo quoq; delphica quo se
Insula iactauit magnis autoribus olim
Diues opum uariarū & pinguis munere glebæ
Illic & fontes posuit natura salubres
Balsamaq; & cedros/& odoratam Therebyntuz
Annosasq; iugis palmas/atramq; cupressum
Et passim campis ramos canentis oliuæ.
Vrbs autem triplici murorum robore fulta
Turribus in girum positis. tum saxea maior
Sexaginta altum cubitis porrecta cacumen
Prospectu/& magno pulsabat uertice cælum.

Artis opus miræ: unde omnis Iudæa uideri
Posset: ni clarum fuscarent nubila phœbum.
Haud procul hac steterat uicus: cui barbara nomē
Lingua dabat Gabaō: Quo postquā castra locauit
Aeream contra turrim firmissima Ductor
Optauitq; locum: celeri uagus omnia lustrat
Vectus equo tacitoq; explorat mœnia gressu.
Quæ pars ascensu melior. quam machina pulset
Aptius. occultos ubi uinea proferat ictus.
Abdiderat se turba pauens/murosq; relictos
Lustranti/nusquam trepidus comparuit hostis.
Sed fraudis fuit ille metus. ne crede latenti
Perfidiæ simplex uirtus. committere pugnam
Non nisi decepta uulgus probitate malignum
Hoc solet. accinctus tantum mucrone redibat
Cetera nec clypeo. nec squamis tectus ænis
Multa mouens animo. Qum circunfusa repente
Emicuit scelerata cohors: Sic concita fumo
Linquere uel ceras dum compelluntur inanes.
Improuisa ruunt uacuis examina celis.
Atq; una glomerantur apes. circunsonat æther
Murmure/nec tuto quisquam uenit obuius illis
Protinus audacem Titus calcaribus urget
Cornipedem/ualidaq; manu mucrone rotato
Qua magis apta fugæ uia peruolat/atq; sequentem
Vulnerat effugiens hostem. nec segnior ullus

Insequitur comitum/ferrum ue in cæde remittit.
Spicula mille caput preter labentia nudum
Nequicquam effugiunt/corpus nec læsit inerme
Missilibus de tot iactis hostiliter unum/
Verbaq; cum telis portabant irrita uenti.
Hunc hunc. hic satis unus erit. clamauerat esron
En aliquis iaculo certo defigat. at illi
Faucibus exceptus uocem rapit ensis anhelam
Feruidus insultat Sonipes/atq; ore cruento
Pandit iter/strictosq; minus timet ire per enses:
Quam p septa lupus: rabidam quum strinxerit aluũ
Scæua fames. hinc ir de licet custodia seruet
Fida locos. in aperta tamen discrimina fertur
Improbus/& prædam frustra sectantibus aufert.
Vix erit ulla fides Galeæ munimine nullo
Tot caput emissas unum euitasse sagittas.
Nec tergo acceptum nec forti pectore uulnus.
Sed Iuuenis tanto casu deus affuit: olim
Scilicet ultorem sibi quem delegerat ipse
Sacrilegæ gentis tumidas infringere uires.
Iamq; propinquabat castris. Sociiq; ferentes
Auxilium miscent acies: bibit arida tellus
Exceptum late confusa cæde cruorem
Tum noua turba ruit quantam uix illa tenere
Moenia posse putes/totisq; includere circis
Cornua dant animos summaq; auditus ab arce

Funestus Tubicen. rabies innata furorq;
Ingeminant uires. Surgit Romana Iuuentus
Fortior/atq; hostem pariter/ceditq; fugatq;
Nunc rapiens nunc dans spacium. crudelia casus
Vulnera multa facit. Nam qui uitauerat ensem
Exanimis medio iacuit pressante tumultu.
Hortatur præsens/extrema pericula Titus
Propulsare manu ualida. nec cedere retro.
Consuetum memorans uulgi non posse furorem
Stare diu. mox ipse: uelut nihil ante laboris
Perpessus/nulloq; foret lassatus in ictus.
Fortia multa manu demittit corpora leto.
Quaq; uolat Sonipes uersat rapida ungula rores
Sanguineos/& humi suppressa cadauera calcat.
Obuius huic lingua; melior quam corpore/seq;
Ostentans Gamaeli: uana inter iurgia fuluum
Guture suscepit ferrum. ac fugiente cruore
Confudit uoces in gurgulione retentas.
Post hunc non dubie spondentez & acerba minātē
Vltorem sese cognati sanguinis. addit
Ozian. nanq; huic fortem male cassida scindens
Fulmineus partes secuit caput ensis in æquas.
Iamq; fere aspectum globus undiq; pulueris omnē
Abstulerat pugnantum oculis. iam ceca ferebant
Vulnera: reddebantq; simul. plus cedere semper
Hebreus tamen/amisso spacioq; referri

Quod procul ut primuꝫ gnarus dare signa canoro
Aere uidet: lieuo crepuit reuocāte magister.
Haud segnes dant terga illi/portamq́ꝫ tenere
Festinant: & tuta pedes in mœnia ferre:
Infesto quisquis potuit celer ense reuelli
Romanus clangore pari tentoria Miles
Iussus init/nimiumq́ꝫ iuuat superasse nephandos
Opposita uirtute dolos. tum corpora fessi
Disponunt/epulisq́ꝫ famem uicere paratis
Petri Apolonii Collatii. pre. No. de euersione
Vrbis Ierusalem Liber. 3us. explicit. Incipit. 4us.

p Ostera fulgebat rosei aurora quadrigis
Ducebatq́ꝫ dieꝫ: Qum ꝓtinus ipse quietis
Impatiens ductor. Socios instare labori
Imperat/acceditq́ꝫ operi non ultimus ultro.
Primus humum labor est fossis æquare repletis
Omniaq́ꝫ obiectu uisus prohibentia circum
Tollere. festinis ne quid procursibus obstet.
Certatim duros exercet quisq́ꝫ ligones
Arbor & ad terram forti repetita securi
Voluitur ingentiq́ꝫ sonat concussa fragore
Ceu tuscis aut Lucanis ergastula terris
Institor/exigua uictus mercede fatigat
Immitis/requiemq́ꝫ negat/flauentia donec
Stirpibus euulsis Cereris det munera campus
Quod nemus ante fuit. habitata mapalia pastor

Cogitur ipse manu propria prosternere tristis
Armento prius infelix spoliatus & agro.
Postquam nil obstare uidet . stratumq; per æquor
Liber inoffenso potuit pede currere Miles
Castra loco mutat. tum protinus aggere structo
Ingeritur pendens ruituris machina muris.
Certatim sub crate latens/tormentaq;: crebros
Effundunt ictus. flexa ceruice minatur
Sepe aries cornuq; ferit. nunquam irrita passus
Brachia. quin aliquid semper de parte petita
Dissipet. emissis respondet nixibus aer
At ciues: nec tela super. quæ tarda salutis
Hic spes esse solet: saxum nec missile torquent
Nec rapidas putri uiciatas sulfure flammas
Ignaui: tanquam facilis iactura putetur
Si collapsa ruant primi munimina muri.
Quid struis insidias totiens plebs perfida uanas?
Quid tantos meditare dolos: tandem exere frontē
Si quid habes animi. Iam dissiliebat apertam
Murus agens rimam. nutanti iamq; ruinæ
Proximus/& cratem cupiebant linquere tecti.
Ecce improuisum claustris ruit agmen apertis
Et subite luxere faces. igniq; nephando
Lignorum temerare strues/atq; urere flammis
Molliri/totum belli & succendere robur.
Fecissetq; satis uoto recutita Iuuentus:

Ni procul ipse nephas speculatus ab agger Ductor
Clamasset. Seruate quibus stat machina curæ
Ah uigiles seruate uiri Simul ipse subisset
Auxilio. trabibus tum quos inferre parabant
Attoniti uertere ignes. primasq; cruenti
Mulciber armato haud ueritus concurrere Marti
Exhibuit belli partes: odia aspera quondam
Tunc etiam memori forsan sub pectore seruans.
It rursum cælo clamor ac fumida nubes
Et rursum clanxere tubæ. fera concitat astans
Dissimiles Bellona manus. pars ensibus ista
Illa focis sæuit. ferrum sed adultera proles
Accipit auxilio. calidum potura cruorem
Rursus hians tellus os insatiabile pandit.
Ductores Latii ante omnes in prelia dextras
Exercent fortes/animosq; minoribus addunt
Traianus/Titiq; latus non linquere cari
Suetus Alexander. nec mollior ira Sabini
Perfurit: & Domiti/& Cerealis feruida uirtus
Hos ducis exemplum quecunq; per aspera primi
Attentare uiam hortatur per tela per ignes
Oppositos. cuiquam nec iam mors dira timori.
Ibat per medios fumantem lampada torquens
Horrendus barba Symeon/longisq; capillis
Multaq; mandabat uulgaria corpora loeto:
Sæuus iter pandens flammis. cui uertice tantum

Cassis erat breuior/loricaqꝫ corpore simplex
Hæsit in hunc/uolucriqꝫ dedit noua uulnera pilo
Quod faciles aditus dissutis repperit hamis
Traianus. cadit ille ruens in terga cadenti
In crines/mentumqꝫ suus delabitur ignis
Nec mora conueniunt longis æqualiter hastis
Bethleus Ionatas. fidensqꝫ ætate Sabinus
Tecti ambo clypeis/pulchra quoqꝫ casside & armis
Conspicui. primo congressos impete lusit
Fraxinus exiliens. miscentur protinus enses
Inqꝫ uicem rabidis grassantur dentibus ipsi
Cornipedes/equitesqꝫ manus in frena uicissim'
Iniectant/pugnantqꝫ diu. ceu comminus egit
Ira ferox quotiẽs nemorosis uallibus ursos
Dentibus infrendũt dentes/atqꝫ unguibus ungues
Miscentur. cœunt oculis: tum deniqꝫ terra
Sepius impliciti semper: surguntqꝫ caduntqꝫ.
Horum talis erat facies. Qum lancea subter
Venit Alexandri: Scapuli qua nulla tegebant
Arma cauum. Nam forte necem meditata Subino
Extulerat magno nixu se dextera in auras.
Corruit infœlix Ionatas/& gloria quanta
Dicere uix potuit: me succubuisse duobus
Fraude tamen uictum: morientem uerba reliquunt
Spiritus & tristes abit indignatus ad umbras
Nusquam cassa manus domiti. Sine funere nullis

Vulnus agit Cerealis atrox: duo fulgura belli
Nec procul alterno uires conamine miscent
Effera Mors atro campum discurrit amictu
Non hic aut illic clementior. undat utrinq;
Sanguine nigranti tellus/miscetq; Latinum
Barbarico. Festinat opus testudine tectus
Interea Miles/confossaq; mœnia quassat.
Ingentem donec sonitum concussa dedere.
Tum uero Iudæa phalanx exterrita casu
Consuetæ dat lora fugæ/murosq; secundos
Occupat/obiectisq; innectit uincula portis.
Exclusi frustra timidis conuicia iactant
Romulidæ/tutoq; alias aliasq; relicti
Euertunt muri partes. ut stridulus ignis
Roboribus mediis primas immittere uires
Si potuit: mox congeriem depascitur omnem.
Successu tanto lætus: cessare manipIos
Imperat/& fessos castris requiescere Titus.
Et simul ipse atrum sudorem corpore tergit
Sedula quem circum famulantum turba resultat
Certatimq; ducis uirtutem ad Sydera tollit.
Septimus humentes Titan dimouerat umbras
Dum fessis requies sociis: dum busta parantur
Emeritis iam morte uiris: Qum uellere signa
Multa duces prius hortatus: tum deinde minores
Titus/& excidio iubet insudare secundo.

Maxima pars belli stetit ipso in limine portæ
Hincq; uiam tentat Miles. nec ut ante solebat
Iudæus latet insidiis/sed mœnia uelox
Scandit/& armata uallum induit omne corona.
Diræ utrinq; minæ. loris excussa uolarunt
Spicula & emissæ cælum texere sagitte.
Altera scrutatur muri testudo latebras.
Obsidet æratos. impellitq; altera postes.
Intus maior ibi labor est. hos agmine denso
Obseruant/molemq; addunt/atq; obiice firmāt
Romulidæ contra tecti: nec saxa timentes
Nec pice qui mixtus ueniebat desuper ignem
Fortius insistunt sudibus ualidaq; bipenni
Vulnera dant foribus. imo nunc cardine tentāt
Vellere. nunc aditu3 subter tellure cauata
Exquirunt/alii iaculis & glande soluta
Defensare locum: stantes pro mœnibus arcent
Immittunt alii scalas mediisq; repulsi
E gradibus scandunt rursum & fastigia prensant
Summa manu. rursum ualli rediguntur ad ima.
Vt quondam summa qum struxerit arbore nidum
Pica loquax/sociusq; thori/Si pellere capta
Par aliud statione uelit: circumuolat alis
Sepius/irrumpitq; loco. frustraq; recedit
Inuida pars. acuit rostrum prior hospes & ungues/
Tuturq; locum natis pia cura futuris.

Nunc contorta uirum defert e menibus hasta.
Nunc demissa ferit. stridet ballista per auras
Atq; ictum metus anteuenit/cumulataq; saxa
Machina sublimi conatu in menia fundit.
Nec leue uecta rotis moles/æquataq; muris
Lignea præsidium est/illinc & tela remittit
Pugnator/saxisq; & crebro turbine. turres
Appetit oppositas. rarus tamen usq; cruentam
Pulsat humum moriens. & adhuc spectabile bellum
Non uidet undantem nigranti sanguine terram.
At postquam: seu cessa dolo/seu uicta/relabi
Ianua/ & emoto procumbere cardine uisa est
Excessere modum parcæ/citiusq; cruorem
Sic a bibit fusum tellus: quam concipit hymbres.
Precipitem subitus qum uertit aquarius urnam.
Grandinis in morem densum: coit undiq; uulgus
Ac duplici clausos muro/anfractuq; uiarum
Palantes: cædunt Italos/ignemq; faces q;
Ensibus immiscent. Voces clangore tubarum
Confusæ: penetrant nubes/atq; æthera scindunt.
Ille dies omnem potuit fulcire ruinam
Vlcisciq; tuos manes/ac busta piare
Plebs Hebrea semel: prorsus ni fata tenaci
In te iurassent animo/iustiq; Tonantis
Extremas scelerum pœnas uindicta tuorum
Posceret. Eoi quicquid sub sydere regni

Est hominum: licet huc uires/properataq; mittat
Auxilia: stabiles Fatorum uincere leges
Non potes/instantemq; urbi uitare ruinam.
Vidit ut aduersa fortunam tendere fronte
Titus. & innumeras cædes stragemq; suorum:
Colligit extemplo robur/celeriq; sagitta
Armatum se quenq; iubet cōsistere circum
Ipseq;: dum monitus non fausto lumine Miles
Exeat: oppositis paucis in prælia dextris
Sustinet ingentes æstus/belliq; furorem.
Paulatim inde refert gressus. Sic deniq; tanto
Ereptum casu: melior fortuna recepit
Liberiore polo/ tutis ac reddidit aruis
Hostili cessante manu/ uiresq; timenti
Vrbe procul conferre suas. Tum protinus alas
Dispersas cogit Tubicen / dextrasq; calentes
Non patitur languere mora. Sed parcius uti
Libertate monet posthac/nec claustra subire
Arta quibus tantum pateat uia menia pulsent
Et latos aditus non uno limite quærant:
Maxima conctando fieri. Sic pauca locutus.
Aterno muris acies incombere mandat
Subsidio. totas belli nec laxat habenas
Accessuq; nouo semper pars ægra leuatur
At Iudæa rudis: nulla non parte laborat
Omnis & extremis satagit succurrere rebus

Omnibus e q̃ locis certatim uoluere ſaxa
Accenſaſq́ faces/& acuta cuſpide contos.
Excipit impauido perſiſtens uinea dorſo
Quicquid demittant telorum/excuſaq́ iactat
Concta procul:ceu qum gutis aquilone gelatis
Tecta crepant reſilit grando/colliſaq́ longe
Frangitur/aut uano terræ delabitur ictu.
Rurſus agunt ſcalas agiles/ſcanduntq́ Latini
Ferratis tecti clypeis/atq́ ære pendent
Corpore plus medio/ac trepidos ſtatione repellũt
Pugnantes/coguntq́ loco diſcedere uictos.
Perſonat/immitiſq́ aries properata reducit
Brachia.puluereo crebreſcit machina fumo
Et muri partem cum defenſoribus aufert.
Summa petens.ſubeunt alii/cratemq́ recentes
Alternant/paries infra ſupraq́ minaci
Nunc cornu impulſus teretis nunc pondere ſaxi
Nutat/& inſtantis dat proxima ſigna ruinæ.
Addit onus defenſor/& in ſua damna coronæ
Accumulant ſeſe ciues:atq́ omnia mittunt
Nequicquam:piceos ignes.tormenta.molares.
Tres adeo Soles/totidemq́ inſtantia noctes
Bella premunt miſeros.nec ſpes datur ulla quietis
Accedente nouo muris/ſemperq́ parato
Milite .iam feſſos quatiebat anhelitus artus.
Brachia iam deerant operi/laſſaq́ fluebat

Incertum ceruice caput: Qum murmure cælum
Obstrepuit/tardeq; fugam tentare parantes
Opprimit horrifico moles euersa fragore.
Haud aliter q; qum penetrauit uiscera terræ
Ventus/& ad crepitum siculis habitator in oris
Tecta piger linquit: casu præuentus iniquo
Obruitur/subitoq; domus sepelitur hiatu.
Vincentum pariter clamor/gemitusq; cadentum
Astra ferit/denso glomerataq; puluere nubes
Eripit ex oculis lucem. procedere Titus/
Attonitosq; sequi: quos non pressere ruinæ
Ipse uetat/clausosq; extremo carcere donat.
Hæc deus interea rerumq; hominumq; creator
Prospiciens alto: patrũ cingente senatu
Stellifero nixus solio: sic ora resoluit
In nati conuersa latus. Nunc deniq; nostras
Agnoscit Iudæa minas. nunc uerba merentur
Nostra fidem: nunquam uesanæ credita Genti.
Cepta placent. Bene habet: teq; o Romane ꝓbam⁹
Hactenus. Ipsa sui partem nunc sanguinis: hosti
Dum requies non longa datur: discordibus ultro.
Hauriat urbs animis. Populos domitare superbos
Nulla magis uindicta potest: ciuilia secum
Quam si bella gerant. Notam squallentis auerni
Carpe uiam: claroq; iterum delabere cælo
Nunc Raphael. rursumq; iube: cui prima dedisti

Munera tollendæ pacis/fœdusqꝫ latinum
Soluendi: dæmon superas se tollat ad auras:
Intestina serens odia/ac contraria miscens
Arma armis. rubeat cognato Sanguine tellus
Hoc duce: Scæua fames alias post hãc mihi cladem
Præbebit mortes/& ab æthere tracta nocenti
Dira lues. totas libet hic dimittere habenas
Quis sæuire mihi mos est/totumqꝫ flagellum
Excutere. Inuisæ Stirpis nec uos modo Patres
Cura dolor ue præmat/iusteqꝫ accedite causæ.
Gaudia uestra manent. fuluas celer explicat alas
Angelus/& dicto citius sub tartara labens.
Mos redit inferno post terga Satelli ducto.
Fluminea piscem ueluti speculatus in unda
Scindit aquas præceps mergus/proditqꝫ repente
Præda illi rostro saliens dependet acuto
Segnius haud Raphael subiit Stigiamqꝫ paludem
Deseruit/iussitqꝫ nephas properare ministrum
Quo deductus erat puri conuexa reuisit
Aetheris ipse. suas dæmon conuersus ad artes
Tecta petit Solymæ: uisos paulo ante pœnates.
Ergo ubi consuetum sparsit per pectora uirus
Et comes huic. uirga signauit quosqꝫ: cruenta
Sedutio: fremuit toto discordia uulgo
Motaqꝫ diuersis sonuerunt partibus arma.
Nec dum causa satis uesani nota furoris

f

Ad scelus accendit multos. munimine templi
Insultant zelotae/saeuaq; Tyrannide regnant.
Nec spoliare palam pudet aut occidere: si quis
Effera iura pati/& iussis parere recuset.
Surgit hydumeus cõtra: iamq; agmine facto
In foribus sistit bellum mortalis Enyo.
O furor. o rabies: ipsis sub moenibus hostem
Esse fugit miseros/optantq; domestica tantũ
Praelia: uicino gaudet plus sanguine mauors
Porticus extabat Templi decus alta/patensq;
Spectatae artis opus: candenti marmore cultus
Cui partes/uarioq; solum de marmore stratum
Aurataeq; trahes/Libanide colle recisae
Munibant summi fulgentia culmina Templi.
Quo se turba loco donis ad sacra paratis:
Purgandum/ueteri ritu conferre solebat.
Hanc ut sacrilegi spaciosior area belli
Esset: Hydumaeus flammis/ferroq; petitam
Diruit/aequauitq; solo. sed nulla Tyrannos
Arma mouent. obstatq; alta sublimis ab aede
Arce uelut zelotes/acceptaq; tela remittit.
Aeratasq; fores conantem euertere turbam
Summouet igne pari facibusq; per aera missis.
Nunc cedit flammis/nunc irritata furore
Illa subit rursus fatoq; potentior ira est
Tandem uicta cadunt prostrataq; limina terrae

Calcat Hydumæus. tantæ sed septus in orbem
Exiguum turbæ spacium uix arma mouen di
Mars pabuit primum/compressaq; corpora pluref
Qui percussa: dabāt mortes. At stringere ferrum
Vt potuere manus/atq; hostem comperit hostis
Omne pauimentum texit cr uor. agmine structo
Mox tamen eicitur uictor zelotesq; resistit
Fortior/atq; iterum: capta semel arce potitur
Sic alterna mouent insanæ prælia partes
Nec minus inter se uulgus quoq; dissidet ipsum
Pars ueniam hortatur/pacemq; ex hoste petenda;
Pars negat. hāc firmat Dæmon/mediusq; recurrit
Dira ferens odia/atq; ig nem flagrantibus addit.
Quis numerum cæsæ plebis quis funera uersu
Explicet: ira minor. ueris qum tempora poscunt
Assueta m uenerem/& tepidus calorincitat artus
Vexat apros/r abidosq; lupos libycosq; leones.
Tonita nec Ionios fluctus uiolentia tollit
Littora qum tenuere duo contraria uenti.
Cladibus accessit tantis: p ræcordia torquens
Dira fames & in omne nephas pietate relicta
Plebs ieiuna r uens dominumq; sola timere
Negligit excussaq; iugum ceruice repellit.
Nam quo forte die: non expectatus: ad urbem
Venerat: & Latius obsidet mœnia Ductor
Annua pontifici pr isco de more redibant

Az ima quæ dixere patres: celeberrima Genti.
Ex quo iura phari Moyses/& Regis acerbas
Effugit leges/populumq; per auia duxit
Sepe recusantem balbo parere magistro.
Concursu magno in templum/matresq; uirosq;
Traxerat illa dies/pagos atq; oppida circum
Vltima facturos irato sacra Tonanti.
Iamq; absumpta ceres ad tristia pabula uulgus
Cogere: post omnes: uulsus radicibus herbas
Post armenta: nihil foedum sibi uenter inanis
Censuit. immondosq; canes/& uiscera equorum
Esuriit. cumq; hoste suo feruentibus undis
Eductos latebris mures bullire uideres.
Ad facies miseranda loci. fluitantia colla
Paruulus infelix miseræ inter brachia ponens
Orat opem Matris/frustraq; arentia fugit
Vbera poscit opem coniunx defecta maritum
Viribus. orat hians pauper/uicosq; per urbis
Nequicquam lassis tundit uag⁹ hostia palmis
Tum cadit. Irrumpit crudelis in hostia latro
Nec dubitat lustrare palam: seruetur operti
Si quid forte cibi. pressoq; e guture: frustum
Semesum. detraxit atrox uiolentia multis.
Audetis ne loqui: an melius tacuisse putatis
Aonides Musæ. facinus quod sæcula damnent.
Omnia: Quodq; legens contracto turbidus ore

Horreat: humanis ausos producere uitam
Quosdam etiam/uacuam saturasseq; carnibus aluũ
Te tamen hyrcanas uincis quæ sola furore
Tygrides: agnoscent. nunquamq; merebere diri
Inuidam facti mulier: non digna parentis
Nomine: Quam plumas etiam nunc sanguine tĩcta
Preferat ipsa suo sceleri cum colchide progne.
Nulla suos euicta fame. breuis ira nocentes
Efficit: ingratis non concessura maritis.
Deniq; Trheicio Natum prendere Tyranno
Vna dedit. cocto non ipsa cadauere pasta est.
Quid lachrymas fundis paruos crudelis in artus
Quid sortem excusas. laniandisq; oscula membris
Imprimis: hæc pietas simulati pectoris usquam
Non latura fidem Maria est. ne defere saltem
Spectandum quicquam/atq; una consumito mensa
Quicquid habes Nati. Seruata parte: parumper
Securam uis esse famem/& tua crimina celas:
Nil agis. hoc sensit raptor/naresq; secutus
Intrat tecta ferox. epulasquecq; femina clamat
Detege. Quid superest etiam nunc paupere mẽsa:
Nudarant enses Laceras perculsa timore
Reliquias profert Genitrix/ac talia fatur.
Sumite quæ restant sceleratæ uiscera Matri
Cetera qui peperit uenter tenet. hos ego fudi
Hos regeram infelix artus mihi demite partem

Criminis atq; auidos uos hic quoq; figite dentes.
Dirriguit uisu predo/ferrumq; remittens
Excessit tectis facinusq; exhorruit ingens
Fortunæ pariter.matriq; infanda precatus.
At magis atq; magis miserum per compita uulgus
Deficere.hic alios dura consistere terra
Examines.alios aegre suprema mouentes
Lumina/& extremis singultibus exhalantes
Aspiceres uitam.superabat copia leti
Tanta rogos.nec iam congesta cadauera fossæ
Accipiunt.pars magna iacens neglecta sub ipso
Aethere deseritur.curuaq; recondita ualle.
Hinc noua causa necis.putres attraxit odores
Feruidus/& tractis subito contabuit aer.
Ergo/& cui uictus fuerat:pulmone grauato
Pestiferis longum tamen hic non obstitit auris.
Quiq; soleit uitam dare spiritus:ille premebat
Quis superesse animos cuiquam post funera tanta
Crediderit:spirant iræ atq; odia aspera mentes
Exagitant iterum.suetasq; innectere fraudes
Ausa manus Cesti:flammis tormenta cremare
Concipit/& magnis Numen non defuit ausis.
Addiderant Megasar seseq; Abienus eunti
Haud pedibus segnes ambo.celeriq; sagitta
Ocyus effusi muris:in castra uolarunt.
Et prius accenso stridentes robore flammas

Aſpexit latius Miles: quam ſenſerit hoſtem
In ſua iam uolucri conuerſum menia curſu
Tanta breui ſpacio moles (mirabile dictu)
Corruit. auxilio undarum ſuccurrere Miles
Necq potuit/ miniman aut igni ſubducere partem.
Tam cito de ſummi percuſſa cacumine montis
Carpitur igne Iouis. Quærcuſq e ſulfure ſacro
Soluitur in cineres. paſtor ſtupet inſcius ipſe
Abdiderit qua ſe fulgur tellure coruſcum.
Tum uero exarſit Tito dolor oſſibus ingens
Commotoq omnis pietas e pectore ceſſite
Nec mora demenſus ſpacium non aggere ualli
Contentus tantum fragili. noua moenia circum
Conſtruit/ & lata clauſos indagnie cingit.
Longa dies nec traxit opus. ſpectauit eoo
Orbe procul naſcens Titan fondamina prima
Tertius heſperias crinem merſurus in undas
Iam conſumati reſpexit ſumma laboris.
Abroget his quicunq fidem. potiuſq receſſu
Complexum magno colles incultaq longe
Te loca: dum generum nequicquã claudere cæſar
Poſſe putas: credat. quos uno fulmine belli
Conatus luſere duces pia caſtra ſecuti.
Audiat & potius ingentem ſeſton Abydo
Extructum Moedo pontem mandante Tyranno
Hæc non ficta: Dei ſancta nos prole canente

Afferimus Iudæa tibi. sub menibus ipsis
Tu lachrimas. tu fatidico de pectore uocem
Audisti: mitis christum qum ferret asela.
Vidit ut inclusos alio munimine muros
Nec superesse fugam tantis Iudæa periclis:
Continuo cecidere animi/spesq; omnis acerbo
Pulsa metu: liquit mentes. tum deniq; uictam
Se cofessa: manus fatis permisit iniquis.
Vt qui Nauta diu pelago Inctatus & unda
In fauces tandem rapitur uada ceca caribdis:
Remorum diffidit ope/semperq; baratri
Expectat trepidans in hiautia uiscera condi.
Hic timidus patrio careat ne morte sepulcro
Intrat adhuc spirans tumulum. struit ille supremos
Conscenditq; rogos/urnaq; recondere seruos
Ossa cremata iubet. laqueo premit alter ab alta
Colla trabe. tristes ultro bibit ille cicutas
At si quis miseræ fugiendo parcere uitæ
Tentaret: stimulante fame/romanaq; signa
Fallere: deprensus in mœnia prima redire
Naribus exectis/& lumine captus utroq;
Cogitur. unde ulli lucis tam dira cupido?
Et tamen hæc multis inerat. Sors improba maius
Scæuictæ dedit exemplum. Nam forte relapsus
Castrorum insidiis: auruz quod transfuga uentri;
Condiderat. dum purgata clam quæreret aluo

Proditur. aucta Syri quæ uox ut Militis aures
Contigit atq; Arabis (gens hæc auidissima census
Protinus obsedere uias/& uiscera sæuus
Scruptari coepit gladius. proh turpia quæ non
Auri suadet amor. quid non mortalia cogit
Pectora: Semianimi pulsabit corpore terram
Captiuus: dum cruda manus uitalibus herens
Quærit opes/latebrasq; alui percurrit in omnes
Horruit auditum: quamquam hunc accenderat ira
Dux latius/gentiq; feræ metuenda minatus
Gratatur superis scelus hoc non esse Quiritum
Sed nunc summa uocant/fatalis cornua belli
Iam dudum puras hostili sanguine dextras
Marsq; fremens in castra negat torpescere segnis.
Nunc ades/extremo maiorq; accede labori
Calliope. tuq; o uatum pater optime: seu te
Phoebe tenet Delos: seu te uentura canentem
Expectat dubius cyrrhæ consultor ad antrum
Quicquid agas: coeptis paulum diuertere curis
Et sacram mihi tende chelym. uidet ultima metæ
Noster equ⁹. iamiamq; capit spes ardua palmam.
Vt primum infandi reparauit prouidus ignis
Damna faber. iubet ære cauo dispersa uocari
Agmina magnanimus Ductor/mediusq; resedit
Altior ipse choro. Tum facta silentia cunctis.
Atq; has facundo deprompsit pectore uoces.

Nunc opus est animis socii maioribus uti
Nunc uires efferre nouas. Victoria finem
Respicit: & rerum probat exitus omnia foelix.
Difficiles sed habent semper postrema meatus
Et nihil est miseris uiolentius: Hic mihi fas est
Romanos spectare uiros. hunc ipse fatebor
Esse meum: primo mihi qui uexilla sequenti
Hereat: & casus fati comitetur in omnes.
Hæc est illa dies fusiq; sanguinis usq;
Persoluet præcium. cuius spe statis in armis
Hebreas quæ pandet opes. incombite fortes
Vltima deq; tribus prosternite mœnia ferro.
Dixerat & toto uoces sonuere Theatro
Colisæ q; manus. Aquilas tum signifer alte
Extulit & muros acies cinxere corona.
Insiliunt pariter ciues solitisq; resistunt
Auxiliis. illinc mittuntur spicula mille
Inde uolant totidem. iactantur saxa trabesq;
Omne genus teli. solido sed uinea tergo
Nil metuens perstat ferrataq; robora duri
Arietis accelerant magno procul inde fragore
Adiuuat exiguam nec defert machina partem:
Aptantur scalæ rursum clipeisq; sinistris
Conscendunt agiles tecti de more latini.
Eq; loco pellunt timidos ac mœnia prensant.
At neq; par primo robur conuenerat intus.

Templum ingens sed enim durata mente: Tyrãni
Munierant arcemq́; illas defendere partes
Vrbe etiam euersa leuitas furiosa putauit.
Protinus impulsu crebro: discedere muros
Aspiciens Titus: presens cui pectore uirtus
Clamat io socii. primas calcare ruinas
En animos en collectas expromite uires
Romulei iuuenes. sonitum ruitura dedere
Moenia. quid dubitatis adhuc. mihi credite. palmã
Ille feret: primus qui mox uestigia terra
Fixerit hostili: non ultimus ipse subibo.
Talibus exarsit dictis ac uoce: Sabini
Mens incensa Siri. maior cui spiritus artus
Implebat paruos. gracilique in corpore: sanguis
Feruidior: stetit ante ducem & tibi maxime Cæsar
Deuoueo hanc animam dixit. Si tradere morti
Me mea fata uelint. Sin hic quoque mitia fient
Numina: dum placeam: merces erit ista periclo
Ampla meo. Sic effatus. super ardua muri
Ense minans clypeoque obtectus: scandit hiantis
Deseruere locum Solymi atque obuersa dedere
Terga uiro primum: preceps sic impetus illum
Extulerat: scæuum pariter uerbisque manuque
Et socios timuere pates. succedere nullos
Mos ubi conspiciunt solumque hic regna tenere
Circum omnes collecti armis hinc: inde fatigant

Tum se precipiti saltu demittit in urbem

Vertentem sese. atq; agili mucrone tuentem.
Ingenti donec aries dedit ore fenestram
Subsidio comitum fidens/ac corpora mandat
Multa neci. Sed tarda manus Romana subintrat
Auxilio iamq; hic saxorum oppressus aceruo
Reddiderat luctantem animam per uulnera multa
Postquam alios/aliosq; aditus uiolentia ferri
Edidit/& tuto patuit uia libera cursu
Mitius æolio dimmisi carcere uenti
Qua data porta ruunt: nec tam cito spume' amnis
Aggeribus ruptis: in campos exit apertos
Quam loca Romanæ tenuerunt prima phalāges.
Nec tenuere modum parcæ: quantumq; perire
Tunc prostratorum poterat: uix perdere tantum
Eualuere manus. Mediam peruenit ad urbem
Ast ubi pugna ferox/desperatamq; salutem
Extremæ populus fortunæ credidit omnis:
Hic hesit belli rabies/mistusq; coiuit
Sanguis/& alternæ senserunt uulnera partes
Ante tamen Titus prudens inuaserat arcem
Profugium belli: si sors incerta labaret.
Nec præsaga illi mens defuit. actaq; retro
Cedebat spacium uictoribus Itala pupes
Vulneribus confecta nouis/tergoq; pudendis
Qum procul. o Iuuenes quo uos timor ĩquit abegit
Stare præcor. Quid terga datis certamine primo:

Heu ubi nunc fortes animi Romanaq; uirtus
State uiri, mouit pressum uox illa pudorem
Continuitq; fugam. stricto tum feruidus ipse
Ense ruens/ sistit pauidos/ ac pectora firmat.
Chaoniæ quales aquila ueniente columbæ
Turbantur/ ruptoq; grege trepidantibus alis
In diuersa metu uolitant. cursusq; priores
Attonitæ linqunt: tales uespasius hæros
Repulit/ & fusos hostes dare terga coegit.
Nec minus insultans acer Iulianus agebat
Cum duce: Qui lateri custos astare solebat
Assiduus: Latiæ uitis præsignis hunore.
Strenuus ah. nimiumq; ausus procedere centum
Nec fultus de more iuris. Templo usq; fugaces
Ille premens sequitur/ passimq; cadauera linquit
Dum mansere pedes. leui sed sanguine lapsus
Concidit infelix/ presusq; undante tumultu
Indignantem animam fatis concessit inquis.
Ocyus instimulat fusos bellona flagello
Hortaturq; referre pedem/ & persistere contra.
Ergo instaurato uires rediere furori
Miscenturq; manus rursum/ spaciumq; uicissim
Tollitur in medio numerosaq; corpora uictor
Proterit/ & crasso calcat reuoluta cruore.
Non dixisse licet mortes/ & singula fata
Quærere. confusum nullo Mars ordine bellum

Miscuit extremum. uelocis uulnere teli
Ille cadit / saeuum hic excepit faucibus ensem.
Ille facem uultu. moritur labentibus alter
Visceribus / truncoque ceruicem depulit alter.
Perfossum multis traiecit lancea pectus.
Hinc caput emissi contritum pondere saxi
Calcatis tantum iacuit pars integra membris.
Mille modos habuit Leti feralis enyo.
Plus tamen eiacuit Iudaeae plebis / & intra
Turba fugax iterum Templi se tecta recepit.
Interea sparsis circum dum limina turmis
Seruat. & inclusos prohibet discedere uictor
Tecta iubet priuata rapi / praedasque requiri.
Nec piger hic Miles. campi flauentis aristas
Horrida non citius: gelidis aquilonibus acta
Grando quatit / uertitque agrum radicibus imis
Quem sors cunque dedit primo miseranda furori
Abstulit adductum nullo discrimine ferrum
Post auidus dum quaerit opes / atque omnia uersat
Scrutator: multis neglecta caede pepercit
Truditur argentum latebris / preciosaque uestis
Tentatumque abdi frustra uitalibus aurum
Ornatus dat sponte suos / pacemque precatur
Virgo tremens / lacerosque humeris effusa capillos
Dat teretes gemmas. dat nupta monilia colli
Quondam cara sui. gemitu flentumque querellis

Clamantum/ac pariter rapientum personat aer.
Talis erat Troiæ facies: Qum uincula falsi
Rupit equi/uictorq; sinon incendia miscens
Diripienda dedit per noctem pergama Graiis.
Congestos spoliis cumulos custodia seruat
Fida Ducum: cursu raptor quæ portat anhelo
Vndiq;. tum domini rerum post terga sequntur
Euincti palmas/oculosq; ad sydera tendunt:
Nequicquam lachrymis in mœsta fluentibus ora.
At non hæc spectans delubri culmine summi
Sediciosa cohors: odium implacabile ponit
Corda truci. sed ferratis uelut abdita claustris
Bellua fulua iubas/metuendaq; pectore uasto:
Aut pressus Sicula uentus regione cauernis:
Affecta percun cta uiam/telisq; lacessit
Romulidas. nec uerba mouēt: quæ plurima Titus
Mitior ipse dabat: turri spectandus ab alta
Spem ueniæ/pacisq; bonæ. Nam parcere sacro
Ille loco/saltemq; urbis monimenta manere
Vna cupit. tandem dignas exarsit in iras.
Vexatasq; iubet bellum instaurare cohortes
Testatus superos/& quod Iudaea colebat
Gentibus ignotum Numen/nulliq; uidendum.
Aggere deducto Miles accingitur armis.
Nec mora: qum subitos ostendit porticus ignes:
Altera. iamq; breui spacio: corrupta furenti

Vulcano tabulata ruunt. hoc perfidus hostis
Scilicet esse ratus curauerat utile Templo
Pugnando ne quas possent timuisse latebras.
Rum cæsar. si tanta inquit fiducia flammis
Et nobis prosint flammæ/ partesq; relictas
Exteriore situ (Nam se penetralibus ipsis
Condiderant hostes) inceptis ignibus addit
Inuitus: sed enim monstrata exempla secutus.
O patriæ decus. o quondam domus omnipotenti
Cara Deo/ toto nulliq; opus orbe secundum.
Munera quo Reges tulerant/ cupidusq; uidendi
Hospes thuriferis properauit ab usq; sabæis
Quo te paucorum præceps audatia uexit?
Nunc uelut amissis: lato ratis æquore: uellis
Remigioq; carens: trunco quam corpore: fluctus
Oppugnant: tumidi certantq; euertere chori
Extremos casus extremaq; fata moraris.
Noluit hoc Titus. clementia uicta benegni est
Principis/ & nocuit tibi mens uesana tuorum.
Libera frons belli iam nil obstare uidebat
Nudaq; erant Templi fastigia. firmat utrinq;
Ira truces animos. ferratum uinea postem
Occupa/ tatq; aditus impulso limine tentat
Oppositæ uires intus: frustraq; laborat
Fessa manus. scalas alii ad fastigia ponunt.
Desuper at demissa uettant ascendere tela

Saxaq; stridentesq; faces liquefactaq; plumbi
Fragmina: sulphureiq; ignes. pix insuper atra
In uentos uis omnis abit frustraq; latini
Militis: inuicti dum circum robora muri
Anxius ingratum fundit perditq; laborem.
Plurimus intereaq; cadit. Labentia tandem
Vota Ducis: siue hic casus: seu Numinis illa
Mens fuit: erexit. facti non cognitus autor.
Sed leuis accenso penetrauit lancea ferro
Secum alimenta trahens/patulaq; & cepta fenestra
Interiore loco (sic sors dabat) arida carpsit
Fomentis adiuta suis. uolat ilicet ignis
Altior/ & partes (dictu mirabile) totas
Vndiq; materiam nactus rapit. atra fenestris
Exundat fumi nubes atq; æthera fuscat.
Clamorem ingeminant turmæ. conterrita limen
Deserit obsessum/satagitq; extinguere turba
Intus. at auxilio subeuntia corpora: surgens
Flamma uorat. rupto patuerunt cardine ualuæ.
Protinus irrumpunt hostes. loca tutaq; complent
Hic se præcipitem specula demittit ab alta
Inscius hostiles alter decurrit in enses
Dum fugit. ille focis inimicum uitet ut ensem
Mente fera se sponte iacit donatq; cremandum.
Rursus cura. deo sed non accepta: fatigat
Mite Ducis pectus/adytis succurrere sacris

Numinis æterni/& sanctos seruare recessus
Clamantem sed enim maiores æthere uoces
Armorumq; sonus prohibent accedere ad aures
Militis intenti iugulis acriq; rapinæ.
Ergo ubi cuncta uidet dilato carpier/igni
Nec tutas satis esse moras: iubet ocyus ære
Signa cauo monitusq; dari: quibus atria linquant
Iam lapsura solo/seseq; in tuta receptent.
Mox data libertas gladiis punire nocentes
Ecce autem e latebris demum prodire coacta
Dedita turba sacris genibusq; occumbere: uittas
Squalentes/legemq; insanis frontibus offert
Extantem. lachrymis ueniamq; exposcit inanem
Non mihi centeno si uox emissa sonaret
Guture: tot cædes hominum tot funera plene
Expediam: Quos aut gladius gentilis ademit
Qui ue sua, periere manu. quos liuida uentris
Esuries: tristes animas efflare coegit.
Nec numerum plebis positæ uenalis ad hastam.
Hic finis solymæ. huc fati tulit exitus illam
Tot quondam populis regnantē opibusq; superbā
In putres lapsam cineres. Hic uos quoq; Diuæ
Aonides firmate pedem. fumantiq; colla
Soluere tempus equum. iamq; indulgere quieti.
Venimus ad metam/sperataq; premia laudis.
Si modo liuor edax dentes compescet acerbos.

Accipe Sancte cherym Vatuꝫ pater: hactenus uſos
Muneribus nos nec eſſe tuis: non gratia parua eſt.

FINIS

Mediolani Anno domini. M. cccc. Lxxxi. quintodecimo Kalendas nouẽbres Vldericus ſcinczenceller nec non Leonardus pachel eius ſocius propria impenſa & laudabili opificio Impreſſum edidit:.

[redacted]